R. A. P.


LVDOVICI IACOB,

DE CLARIS SCRIPTORIBVS CABILONENSIBVS LIBRI III.

In I. Agitur de iis, qui vel ortu vel aliquâ dignitate Floruerunt.

In II Qui in Diœcesi & Præfectura Cabilonensi nati sunt.

In III. Qui in eadem Diœcesi mortui sunt.



PARISIIS,

Apud { SEBASTIANVM CRAMOISY, Regis & Reginæ Architypographum. ET GABRIELEM CRAMOISY. } viâ Iacobæâ, sub Ciconiis.

M. DC. LII.

CVM PRIVILEGIO REGIS.

NOBILISSIMIS

ET

CLARISSIMIS VIRIS D. D.

PETRO DHOGHES

MAIORI,

THEODORO GVENICHOT,
PONTO BERTAVLD,
CLAVDIO MYARD, &
STEPHANO NAVLET Scabinis,
Cæteríſque Ciuibus

VRBIS CABILONENSIS.

Fr. LVDOVICVS IACOB à S. Carolo, Cabilonenſis, Carmelita, Conſiliarius & Regis Eleemoſynarius, ac Bibliothecæ Gondianæ Præfectus.

S. P. D.

PRÆCLARE *feliciterque mecum agi cœptum eſt* (Viri Nobiliſsimi) *quandò obſequij mei*

Vobis probandi rationem, quam Literis meis anteà significandam duxi, eâ grati animi significatione prosequuti fuistis, quam Vestris in literis amoris in me & beneuolentiæ plenissimis multoties sum deosculatus. Et sanè numquàm apud me dubium fuit, quin Vobis pro ea singulari virtute quâ præditi estis, & eâ voluntate quâ in Vrbe Vestra eademque meâ, immortalibus monumentis, omnique laudum genere excolenda propensissimam semper attulistis, gratum etiam Vobis foret, me in eius augenda celebritate, per virorum literis illustrium qui in ea floruerunt nomenclaturam, pro virili mea laborare. Quamobrem reliquum est (VIRI CLARISSIMI*) vt opus istud quod in commune Vrbis Cabilonensis, & Vestrum omnium decus,*

qui tot insignes Viros maioribus Vestris accensere potestis, ex penitissima vetustate eruendum suscepi; Vestris etiam sub felicibus auspiciis in lucem prodeat: sub alienis enim istud tentare, & quæ in fundo Vestro nata atque educata sunt; imo quæ Vestra sunt, in aliud nomen & titulum transferre, flagitium fore mihi persuasi grauissimum. Interim verò ab æquitate Vestra hoc vnum postulo, vt censere arbitrarique de hoc meo labore, non tam ex virium mearum imbecillitate, quæ Vobis digna præstare omninò non potest, quàm ex mea in Vos summa propensione, & incredibili in patriam affectu, velitis: sic enim fiet vt qui me ea facundia, iisque dotibus ad istud operis quod molior pro dignitate absoluendum, non satis instructum esse

perſpicient, voluntatis tamen ad exornandam patriam eamque modis omnibus in cœlum, ſi fieri poſſit, efferendam, abundè in me eſſe V*eſtro hoc adducti iudicio dubitare non poſſint. Quod ſanè mihi quàm ſit honorificum, & verbis in præſentia, quantum poſſum ampliſſimis, & obſequiis inpoſterum pro eo ac debeo fidiſſimis*

Dùm memor ipſe mei, dùm ſpiritus hos reget artus.

palàm omnibus facere, teſtari, ſignificare non deſinam. V*alete* (Viri Nobiliſsimi) *Datum Lutetiæ Pariſiorum, anno ſalutis M D C L I. Die IV. Septembris, Feſto S. Marcelli Martyris Cabilonenſium Apoſtoli.*

MONITIO
AD LECTOREM.

QVOD in more institutóque veteribus omnibus fuisse certum est, vt clara sui æui Ingenia meritis encomiis prosequerentur, eorúmque vitas posteritati consignarent; quod etiam ætatis nostræ hominibus frequenter accidit; vt súæ quique vrbis aut prouinciæ Viros siuè armis, siuè literis, aut sanctitate, vel honoribus, auctoritatéve conspicuos elogiis quibusdam exornent, hoc ipsum mihi nunc in animo, in votis, in calamo est. Atque vtinam eo munere defungi tam feliciter in nostris *Cabilonensibus* possim, quàm diligenter omnia quæ ad ipsos pertinebant conquirere, siue libros cuiuscumque generis euoluendo, siue literas hinc & indè mittendo accipiendóque, quibus de rebus istis instructior fierem, sum conatus. Quod si nihilominus prætermissos à me fuisse quamplurimos nonnulli querantur, hoc me primum tueri ab indiligentiæ crimine possum exemplo, quod neque *Trithemius* aut *Pantaleo* cùm de Germanis, neque *Sanmarthanus* cùm de Gallis, neque *Miræus* cùm de Flandris, neque *Sanderus* cùm de Gandauensibus, neque *Suffridus* cùm de Frisiis, neque *Folieta* cùm de Liguribus, neque *Superbus* cùm de Venetis & Ferrariensibus, neque *Tomasinus* cùm de Patauinis, neque *Boschius* aut *Gaddius* cùm de

Florentinis, neque *Alexius* cùm de Perusinis, neque *Lantus* cùm de Asculanis, neque *alij* cùm de Ciuibus suis scriberent, omnes simul complexi sunt, quos maiori forsan adhibitâ diligentiâ, aut fortunâ magis propitiâ complecti potuissent: neque vnquam ita messis sedulò absoluitur, quin relinquatur locus aliquis spicilegio. Deindè verò cum extra rhombum saltare nollem, ab illustribus bellicâ fortitudine Viris calamum temperaui, illisque tantum in hac Nomenclaturâ locũ esse volui, qui libris suis editis, mihi librorum studioso, versantique inter illos quotidie, & eorum indices euoluenti innotescunt. *Epitaphia* porro è Sepulchretis bonâ fide descripta idcirco repræsentaui, quod historiæ, vt inquit *Miræus*, materiã suppeditent certissimam. Denique cum Nobilissimi Domini PETRI DHOGHES Viri totâ vrbe Cabilonensi Primarij solicitudine ad cætera Vrbis ornamenta Typographeiũn elegantissimum accesserit & selectus è multis eiusdem curâ, R. P. CLAVDIVS PERRY, S. I. Vir elegantissimus fuerit, cui scribendæ patriæ Historiæ negotium publicis votis demandatum est, officij quoque mei fore intellexi, vt reliquis de communi gloria satagentibus non cessarem, sed teruntium quendam velut homo tenuis fortunæ in gazophylacium conferrem. Quòd dùm facio, dùm enitor quotidie & contendo, vt Virorum illustrium gloria velut è tenebris in claram apertámque lucem erumpat, quæso Te, Lector, animum hunc meum æqui boniqùe consule.

ERVDI-

ERVDITISSIMI P.

CLAVDII PERRY

CABILONENSIS,

E SOCIETATE IESV,

ODE.

Ad R. P. LVDOVICVM IACOB, Cabilonensem, Carmelitam, Consiliarium & Eleemosynarium Ordinarium Regium, cùm Libros De CABILONENSIBVS CLARIS SCRIPTORIBVS ederet in lucem.

NON auro, neque purpuræ
Rubro pulcher honor murice quæritur!
Non virtus phaleris amat
Ornari; aut stolido plebis in agmine
Vanis stridere plausibus,
Aut comptis animum fallere iurgiis.
Quò te pectoris impetus
Quò IACOBE *rapit? quo super auios*
Stellantis radios poli
Pennis ingenij præpetibus volas?
An mirer prius? an loquar

Surgentes tumuli marmore mortuos?
Immortale virûm genus,
Quos olim Cabilo protulit, acribus
Tellus ingeniis ferax,
Et quos Palladio parturijt sinu.
Ne miracula nunciem?
Doctos è tumulis audio mortuos
Inque auras iterum egredi
Quos falx dira necis non petet amplius.
Fœlices nimium viri.
Æternis meriti viuite sæculis!
Quorum magna perennibus
Insculpis calamo nomina paginis.
Dum noster placidos Arar
Fluctus in Rhodanum præcipitem feret,
Misceri fugiens salo
Maiestate grauis tardior aluei,
Viuet semper honos tuus
Mansurique decus nominis inclytum.
Viues immeritus mori
Spirabisque noua semper imagine.
Cum donas alijs frui
Vsura eximiæ laudis amabili.
Immitis quid enim Dea
Vitæ fila secet? si preciosius
Te vitæ maneat iubar,
Fundes lucem animo solibus æmulam.
Sæclis integer omnibus
Inuita nemesi viuere gesties.

AD DOCTISSIMVM PATREM LVDOVICVM IACOB, Cabilonensem, Carmelitam &c. De VIRIS ILLVSTRIBVS CABILONENSIBVS Scribentem.

ODE.

MAGNVM est, Cabillo, tot sophia inclytos
Fouisse ciues mellifluo sinu,
Sed maius vnum qui sagaci
Arte potest alios ab atra.

Obliuiosi nube silentij
Arce... & alti viribus ingenj
...o peremptos, scit secundum
Æthereas reuocare in auras.

Iniuriosa lege necessitas
Humana voluens, quæque, breui suo
Incocta fatali veneno
Deuouet exitio, neque ipsa

Virtus expugnat, nec satis est honos,
Decusve contra: Namque potentior
Vis funditus vel falce tandem
Demetit, aut minuit rapaci.

Hoc, hoc IACOBI *prouida mens cauet,*
Currentis æui vindicis vnicè,
Doctique duratura semper
Postgenitis memorare facta.

Vt quisque clarum Nobilioribus
Conciuium actis reddiderit Solum
Natale, committit pedestri
Historiæ, repetitque longo,

Heroas omnes ordine patriæ,
Prosa hunc superbum, hunc carmine nobilem,
Scrutator ætatum, retrorsus
Mille voluminibus remensis.

Iam non peribunt; tuque simul die
Viues perenni, tot benè ciuicis
Cinctus coronis, quot redemptos
Concelebras Acheronte ciues.

O macte doctis, macte laboribus,
IACOBE, *lumen tu patriæ micans*
Diceris, ignotos profunda
Nocte Viros quia luce donas.

BARNABAS LE GAY in Curia
Paris. causarum Patronus Amicus.

CARMEN.

AD R. P. LVDOVICVM IACOB
Carmelitam, Consil. & Eleemos.
Regium, &c.

ANAGRAMMA,

L. IACOB.

CABILO.

SÆpius è victa sumpsere agnomina gente
Romani bello qui valuere duces.
Scipio sic fuso fecit sibi nomina Pœno
Coriolane tuum nomen & inde petis.
Sed fato maiore tibi immortale parasti
LVDOVICE *decus magniloquásque vices:*
Dum tumulo trahis heroas doctámque cohortem,
Inque sua notos nec benè gente viros.
Tu melior Cabilone parens de nomine IACOB
Iam CABILO, *patria his dignus & esse Pater.*

IAC. AVG. VIREY Cabilon.

REVERENDA DIGNITATE, CLARITATE, ERVDITIONE, & PIETATE Præstantissimo D. P. LVDOVICO IACOB, Cabilonensi, Consiliario & Eleemosynario Regio.

S. P.

VNdique dum calamis vltrò pugnatur & armis
Gallus & in Gallum dente vel vngue ruit.

Nescius inuidiæ communi munere ciues
Gestisque illustri sorte beare tuos.
Debebas multum patriæ, sed plura rependis
Te meritis Patrem, dum tua Mater habet.

PHILIPPVS GVIDE, Cabilonensis.
Doctor Medicus.

R. P. LVDOVICO IACOBO, VIRO
DOCTISSIMO IN HISTORIAM
Cabilonensem.

EPIGRAMMA.

EST aliquis patriam qui diligat? atque vetustos
Qui meritis gratus laudibus ornet auos?
Non fuit antiquis tamen hoc mirabile sæclis:
Illa sed & minimæ gloria plebis erat.
Quondam Parisio fuerat satis aere nasci,
Vt quem Parisiæ duceret Vrbis amor:
Nunc auro patriam si quis non vendidit, illi
Thus datur; & clamant, prodigiosa fides!
Docte Cabillo, tuam calamo qui diuite gentem
Nobilitas, veteris tu mihi moris homo.
Vos verò meritum Ciues agnoscite ciuem.
O, quæ fert tales terra beata Viros!
Magnum est, quòd tantis collecta laboribus ille
Exhibet in lucem scripta diserta nouam.
Sed majora viro aggreditur, cùm nempe sepultos
Excitat à longâ morte IACOBVS *auos.*

CAROLVS OGERIVS
Parisinus.

DOCTISSIMO VIRO P. LVD. IACOB DE VIRIS ILLVSTRIBVS VRBIS Cabilonensis scribenti.

EPIGRAMMA.

SI non doctiloqui cecinisset Musa Maronis,
Troianus nullo notus in orbe foret:
Nec tot perpessi terrisque marique labores
Possent à nostra posteritate legi.
Sic nisi multiloqui scripsisset musa IACOBI,
Paucis nota foret clara Cabillo Viris:
Nec tot compositos noctesque diesque libellos
Volueret exiguo temporis articulo.
Hoc, LODOICE, *tamen Vatem discriminat, & te*
Ille peregrinum laudat, at ipse tuos,
Fictitiumque canit, tu Veros, Veraque narras,
Huius ficta igitur gloria, Vera tua est.

ΕΙΣ ΛΑΜΠΡΟΤΑΤΟΝ ΚΑΙ λογιώτατον ἄνδρα Ἰάκωβον περὶ ἐμφανῶν ἀνδρῶν τοῦ Καβυλλῶνος γράφοντα.

ΕΠΙΓΡΑΜΜΑ.

Γαλατίη Ἰάκωβε πᾶσι μέγα κῦδος ἐγείρας
Καὶ Καβυλῶνι πάτρῃ θῆκας ἐς ἀΐδιον,
Σῶν λογίαις δίων πολίτων σελίδεσι χαράξας
Νοῦν, ἀρετὴν, τε γένος, καὶ φρένας, ἔργα, φύσιν.

Αιθ., ὁ ληγάριος Ἰατρός.

FACVLTAS
REVERENDISSIMI P. GENERALIS ORDINIS.

Fr. IOANNES ANTONIVS PHILIPPINVS. S. T. M. Ac Hvmilis Prior Generalis Totius Ordinis B. V. Mariæ de Monte Carmelo.

CVm Nobis constet non pauca in publicam vtilitatem opera edita esse à R. A. P. Lvdovico Iacob à S. Carolo, Cabilonensi, Carmelitâ, Professo Sacerdote Prouinciæ nostræ Narbonensis, Consiliario & Eleemosynario Ordinario Regio, nec non Illustrissimi ac Reuerendissimi Domini D. Ioannis-Pavli-Francisci Gondii, Corinthiorum Archiepiscopi, & Coadiutoris Parisiensis Bibliothecario, pluráque ab eodem composita esse, quæ typorum lucem expectant: Propterea authoritate nostra, harum serie facultatem ipsi concedimus, vt opera omnia hactenùs ab ipso composita, & imposterum componenda, typis mandare possit, si cæteris ad quos spectat, ita videbitur, in cuius rei fidem &c. Datum in Carmelo nostro Parisiensi Maubertino, die. XX. Augusti MDCLI.

Fr. Ioannes Antonivs Philippinvs
Generalis Carmelitarum.

Locus Sigilli.

Fr. Gabriel à S. Iosepho Secretarius.

APPROB.

APPROBATIONES.

EGo infrascriptus Testor libros *R. P. Ludouici Iacob de Cabilonensibus Scriptoribus*, non modò nihil continere Fidei Catholicæ aduersum, sed Religioni præstare defensionem, Lucem Historiæ, Auctori & Conciuibus gloriam: Parisiis 30. Sep. 1651.

IACOBVS DV ROVRE in sacrâ Theologiæ facultate Doctor.

CLarorum Cabilonensium Scriptorum claro huic Elogiorum Scriptori Elogium, ob insignem qua præsens hoc opus Historiæ floribus suauiter spirans insperſit eruditionem, qui leget sedulò, non denegabit. In quo testor ego infrà scriptus sacra in Theologia Doctor, Fidei orthodoxæ reperiri contrarium nihil. Parisiis 4. Octob. ann. reparat. salutis 1651.

IACOBVS GAFFARELLVS Diui Aurelij perpet. Command.

INDEX
COGNOMINVM CABILONENSIVM
Scriptorum.

A

LVD.

LVDOVICI IACOB LIBRI TRES, DE CABILONENSIBVS CLARIS SCRIPTORIBVS.

LIBER PRIMVS.

S. CÆSARIVS *Archiepiscopus Arelatensis.*

CABILONE ad Ararim, apud Heduos, nobilissimis ac Christianissimis parentibus ortus. Hic summus Cabilonensium honos, cùm esset sub parentum disciplina, ad omnigenam virtutem & morum sanctimoniam educatus, adhuc septennis, quo tempore, vix in alijs adolescentibus solent scintillæ rationis emicare, diuinâ pulsus pietate, sua vestimenta pauperibus erogabat: deindè anno nono ætatis suæ in clericalem militiam, ipso rogante, à *Syluestro* Cabilonensium Præsule sanctissimo adscriptus est. Cùm igitur Cæsarius tale Angelicæ virtutis specimen ab infantia dedisset, relictis parentibus vanitatibúsque mundi spretis, *Monachus Lerinensis* sub S. Abbate *Porcario* magni nominis viro, factus est, in quo monasterio tàm ardenti perfectionis Christianæ flagrabat amore, & sanctissimos Asseclas, diuino cum feruore, imitatus

est, charismata meliora æmulando, vt æqualis eis in omnibus euaserit. Professione emissâ *Cellarius*, vnanimi monachorum consensu, electus, ita ieiuniis & vigiliis corpus tenerrimum vexauit, vt coactus fuerit *Arelatem* venire valetudinis curandæ causâ, vbi *Firminus* & *Gregoria* Arelatenses Patricii clarissimi domo eum excepere, datúsque est *Iuliano Pomerio* Afro Rhetorũ suo æuo facilè Principi edocendus; verùm ab humanioribus literis visione territus, auocatus est, & ob præclaras ingenij dotes *S. Eonio* Pontifici oblatus, ab illo (vt propinquus genere & vrbe) agnitus; imò & omnibus beneuolentiæ officiis cumulatus est. Illicò enim *Eonio* Cabilonensi nobilissimo, Arelatensium Primate procurante, *Diaconus* & *Presbyter* ordinatus, defuncto in *Insula Suburbana* Abbate, in eius locum substitutus est, tertióque exacto anno in *S. Eonij* locum suffectus anno Christi D. III. Quo in munere bis exilio mulctatus est apud *Alaricum* & *Theodoricum* Gothorum Reges delatus, à quibus, innocentiâ cognitâ, humaniter fuit acceptus. Multis etiam interfuit Conciliis, in quibus instar *Viri Apostolici* se impensè gessit, extititque æternum Ciuitatis Cabilonensis (quæ olim fuit Regum Burgundiæ Sedes) decus & Monachorum norma, sacríque Ordinis Episcopalis gloria, *in quo Sapientia sibi domum ædificauerat, & quem Deus spiritu sapientiæ & intellectus impleuerat.* Cùm esset igitur lucerna ardens lucénsque ante Dominum ac vniuersum mundum, de Ecclesia & Republicâ literariâ optimè meritus est. Hæreticorum malleus & flagellum extitit. Sed quid sanctissimi Viri virtutes omni encomio maiores, hîc laudare aggredior? Loquantur pro eruditissimo Antistite eius opera & illis præbeant copiosam laudandi materiam, qui de eo prolixa vitæ acta instituere desiderant. Satis nobis est dicere, eum ex suis eximiis scriptis apud omne æuum, tam immortale nomen esse consecutum, vt illud nulla vnquam delere obliuio, vel obscurare valeat vetustas. Scripsit enim disertissimo ac elegantissimo stylo.

In aliquot difficilium scripturæ locorum Homilias X L. *diuersas. Quas* in lucem emiserunt Gilbertus Cognatus, Nozerenus, Sequano Burgundus, Basileæ, apud Henricum Pe-

trum, 1558. in 8. Margarinus Bignæus, Cœnomanensis, Doctor Theologus Parisiensis vndequaque doctissimus *Tomo* VII. *Bibliothecæ Patrum* ex MSS. V. C. Nicolai Fabri, Parisiensis, Regis Ludou. XIII. Præceptoris integerrimi: etiam R. P. Fronto Ducæus S. I. Theologus insignis: & Auctor *Collectionis Auctorum Orthodoxographorum Tomo* IV. Homiliæ x. *S.* Cæsarij habentur MSS. Tolosæ in Bibliotheca Illustrissimi ac Reuerendissimi D.D. Caroli de Monchal Archipræsulis *Cod. 187. num. 9.*

Sermones XXII. *ad Monachos Lirinenses.* Habentur MSS. in Bibliothecis Parisinis Amplissimi Præsidis Iacobi Augusti Thuani *Cod. 773.* & Illustrissimorum Puteanorum *Cod. 121.* necnon etiam in illa Matthæi Dresseri, ex *Bibliotheca abbreuiata* Conradi Gesneri, Tigurini, Medici.

Homilias V. *de Paschate.* Leguntur *Tomo* VII. *Bibliothecæ Patrum.*

Homiliam in Quadragesima ad Populum. Extat Ibidem.

Decretorum trium Conciliorum Arelatensium, Libros III.

De Gratia & Libero-Arbitrio Librum I. à Felice IV. Romano Pontifice per *epistolam Apostolicam*, roboratum & in latius promulgatum, vt verbis Posseuini vtar.

De Castitate seruanda Epistolam.

Regulam ad Monachos. Legitur *Tomo* V. *Bibliothecæ Patrum* cum Obseruationibus eruditi viri Francisci Meinardi, Antecessoris Pictauiensis, & in *Collectione Regularum religionum* à Patre Prospero Stellartio, Belga, Ordinis Augustiniani Theologo præclaro *factâ*. Hæc *Regula* tribuitur *Teridio* vel *Tetradio* S. Cæsarii Nepoti charissimo & religiosissimo, vt infrà dicemus.

Regulam pro Monialibus ad CÆSARIAM sororem itidem Cabilonensem, Santimonialium Antistitam perfectissimam.

Testamentum S. Cæsarij. Extat *in Historia Primatum S. Arelatensis Ecclesiæ*, quam edidit Latinè pereruditus Petrus Saxius, Canonicus Arelatensis.

Alia Cæsarii *opera* hactenùs me latent.

Migrauit in Cœlum Arelate, anno Incarnationis Domi-

A ij

nicæ D.XLIII. die XXVII. Augusti, sanctitate & miraculorum gloriâ clarus; sepultus est in monasterio Virginum à se ædificato ac dotato. Eius tandem sepulchrum, barbarico furore, destructum, euersúmque Christiani restaurarunt & Epitaphio inscripserunt à *Gemino Paulo* instauratum, quod eiusmodi est,

Cernitur hîc Pario renouatum marmore tegmen
Petri CÆSARIO, Pontificique sacro;
Quod scelerata cohors rabie destruxit acerba,
Hanc virtute Dei sorbuit vnda maris.
Præsul, & in stagno Arelatis sede locato.
Geminus id Paulus strenuè compsit opus:
Cui Christus tribuat cœlestis præmia vitæ,
Cœtibus Angelicis consocietur ouans.
Et nobis, Venerande Pater, miserere precando,
Diluat vt nostra crimina cuncta Deus.

S. *Cæsarij* Arelatensis Archipræsulis sanctitas celebratur die XXVII. Augusti *in Martyrologiis* Romano, Venerabilis Bedæ, Adonis, Viennensis Episcopi, Vsuardi, Monachi Benedictini, Gallico Andreæ du Saussay, Benedictino Hugonis Menardi, Monachi S. Germani de Pratis, & Arelatensi. Eius festum colitur *eodem die* in Ecclesia Metropolitana Arelatensi & in vniuersa diœcesi, vt constat ex *Proprio Sanctorum Ecclesiæ Arelatensis.*

De S. *Cæsarij* laudibus & scriptis meminerunt quicumque *Vitas Sanctorum* scripsêre, vt Laurentius Surius, *Tomo* IV. Aloysius Lipomanus, Episcopus Veronensis; Zacharias Lipeloo, omnes Carthusiani; Petrus de Natalibus, Episcopus Equilinus; Petrus Ribadeneyra. S.I. necnon S. Hormisda Papa, S. Symmachus Papa, S. Ruricius Episcopus Lemouicensis, S. Desiderius Episcopus Cadurcensis, Ennodius, Diaconus, postea Episcopus Ticinensis *in Epistolis*, quas ad ipsum scripserunt apud Baronium, Saxium & alios; deindè S. Gregorius Episcopus Turonensis *libro* IX. *Histo-*

riæ Francorum cap. XL. *&* XLII. Venantius Honorius Clementianus Fortunatus, Italus, Pictauorum Episcopus, *in Vitis & Passionibus Sanctorum*, Vincentius Bellouacensis, Burgundus, Dominicanus, *in Speculo Historiali*, Gennadius Massiliensis Presbyter, *de Scriptoribus Ecclesiasticis*, Honorius Augustodunensis, Benedictinus, *Ibid.* Ioannes Trithemius, Abbas, *Ibid.* Robertus Bellarminus S. R. E. Cardinalis, *Ibid.* Aubertus Miræus, Bruxellensis Canonicus & Bibliothecarius Antuerpiensis, *in Bibliotheca Ecclesiastica*, Antonius Posseuinus *S. I. in Apparatu Sacro*, Conradus Gesnerus, *in Bibliotheca Vniuersali*, Fabianus Iustinianus Congregationis Oratorij de Vrbe Sacerdos, posteà Præsul Adiacensis in Corsica, *in Indice Vniuersali*, Vincentius Barralius, *in Chronologia Lerinensi*, Ioannes Molanus, Doctor Theologus Louaniensis, *in Bibliotheca materiarum*; & *in Notis ad Martyrologium Vsuardi*, Cæsar Baronius S.R.E. Cardinalis, *in Annalibus Ecclesiasticis*; & *in Notis ad Martyrologium Romanū*, Petrus Saxius, *in Historia Primatum S. Arelatensis Ecclesiæ*, Claudius Robertus, Lingonensis, Maior Vicarius Cabilonensis, *in Gallia Christiana*, Ioannes Chenu, Bituricensis, *in Chronologia Præsulum Galliæ*, Iacobus Seuertius, Ecclesiastes Lugdunensis, Theologus Parisiensis, *Ibid.* Hermannus Schedelius, *in Chronico*, Cæsar Nostradamus, *in Historia Prouinciæ*, Antonius Yepes, Hispanus, Benedictinus, *in Annalibus Benedictinis*, Ludouicus Cresolius, Armoricus S. I. *in Anthologia Sacra*, Nicolaus Sanderus, Anglus, *de Visibili Monarchia Ecclesiæ*. Thomas Bozius, Eugubinus, Presbyter Congregationis Oratorij, *Tomo* II. *de Signis Ecclesiæ*, Franciscus de Mendoça, Vlyssiponensis S. I. Theologus, *in Commentariis in Libros Regum*. R.P. Dionysius Petauius, Aurelianensis, Societatis Iesu Theologorum doctissimus, *in Rationario Temporum*, Iacobus Charron *in Historia Vniuersali*, R.P. Iacobus Sirmondus præclarum Galliæ & Societatis Iesu lumen, *in Notis ad Epistolas Ennodij*, Florianus *in Epistola ad Nicetium Papam* seu *Episcopum*, S. Odo, *in Vita S. Gerardi*, Anonymus, *de Vita S. Ægidij*, Gratianus, Monachus Ordin. S. Benedicti, c. *prima adnotatio distinct. 16.* Seuerinus Binius,

Tom. 2. Conciliorum, Balthasar Corderius S.I. *in Iobo elucidato.*

TERIDIVS *vel* TETRADIVS *Monachus.*

NAtione Burgundus, patriâ Cabilonensis, præfati *S. Cæsarij* nepos, Monachus Lirinensis, vbi in humilitate, abstinentiâ, religionis zelo, paupertatis exemplo, & omni virtutum genere perseuerans, cœlestibus charismatibus emicuit, reuelationibúsq; diuinis decoratus est. Quibus meritorum titulis inter eximios scriptores Cabilonenses insignis & illustris, nostro in opere cum laude singulari commemorandus est. Scripsit hic doctissimus Ecclesiæ Pater, S. Cæsario dictante.

Regulam ad Monachos, vt affirmant Margarinus Bignæus, *Tomo* XV. *Bibliothecæ Patrum*, & P. Lucas Dacherius, Benedictinus Congregationis S. Mauri in Gallia, *in Asceticorum* vulgò *spiritualium Opusculorum, quæ inter Patrum Opera reperiuntur, Indiculo.*

Floruit noster piissimus Conciuis, anno à Christi natiuitate D.XLI. sub Clotario I. Francorum Rege Christianissimo.

WALTERVS *vel* GVALTERVS *Episcopus.*

EX Clerico Archidiaconus sacrosanctæ matris Ecclesiæ Cabilonensis, deindè Episcopus anno gratiæ M.LXXX. totius Cleri ac Populi consensu electus. *Vir* (vt colligo ex ipsius electionis actis) *generosi stemmatis prosapiâ ortus, peritiâ, non modò sacrarum literarum, verum & mundanarum industriâ legum admodùm eruditus: ieiunijs, vigilijs, & orationibus, ac cunctis misericordiæ operibus insignitus, probissimâ morum honestate præclarus: omnium virtutum matre discretione pulcherrimè redimitus: luculentissimi etiam eloquij & apprimè disertus.* Exindè satis patet quantus & qualis fuerit noster eruditissimus Antistes,

cuius fama toti Galliæ notissima extitit. Sub eius enim Pontificatu, celeberrimi Monasterij & Ordinis sacri Cisterciensis initia, S. Roberto Abbate Molismensi Conditore & Odone inclyto Burgundionum Duce dotante habuerunt, in diœcesi Cabilonensi, quem sanctissimum Abbatem, summâ paternâ charitate, amplexus est anno Domini M.XCVIII. Quod autem ad Præsulis nostri attinet monimenta literaria, non dubito, quin multa scripta ediderit, ex quibus tamen hactenùs nihil inuenire potui. præter

Epistolas nonnullas pro Monachis Cisterciensibus. Quæ leguntur, *Tomo primo Annalium Cisterciensium* Reuerendissimi Patris Angeli Manrique, Hispani, Burgensis, Doctoris ac Professoris Theologi Salmanticensis, Concionatoris Regij, ac Cisterciensis familiæ in Alma Hispaniarum Obseruantia Generalis & Episcopi Bazencis nominati, anno M. DCXLII. Lugduni apud Hæredes Gabrielis Boissat & Laurentium Anisson, *edito* Latinè in folio.

Viuebat adhuc noster Illustrissimus Præsul Cabilonensis anno post aduentum Messiæ M. CXLVIII.

De *Waltero Episcopo Cabilonensi* perhonorifica reddunt testimonia, Sigebertus, Monachus Gemblacẽsis, *in Chronico*, Cæsar Baronius S.R.E. Cardinalis, *in Annalibus Ecclesiasticis*, *anno* M. XCVIII. Petrus Naturel, Præcentor Cabilonensis, *in Catalogo Episcoporum Cabilonensium*, Petrus Sanjulianus Baleurreus, Decanus Cabilonensis *Ibidem in Antiquitatibus Cabilonensibus*, Claudius Robertus, Maior Archidiaconus Cabilonensis, *Ibidem in Gallia Christiana*, Iacobus Seuertius, *in Chronologia Præsulum Galliæ*, Ioannes Chenu, Patronus Bituricensis, *Ibid.* Nicolaus Sanmarthanus Scæuolæ secundi Filius, *in Historia Ecclesiastica Cabilonensi* hactenùs *inedita*, Aubertus Miræus, *in Chronico Cisterciensi*, Gaspar Iongelinus, *in Notitia Abbatiarum Ordinis Cisterciensis*, Chrysostomus Henriquez, *in Menologio Cisterciencensi*: & *in Fasciculo Sanctorum Ordinis Cisterciensis*, & Omnes alij Historiographi *sacri Ordinis Cisterciensis*, Guilielmus Paradinus, *lib. 2. Annalium Burgundiæ*, Bartholomæus Chassanæus, Heduus, *part. 4. Catalogi Gloriæ Mundi*, Samuël Gui-

chenon, Matiſconenſis, *in Hiſtoria Sebuſiana, cap. 32. & part. 3. pag. 32.*

PETRVS *Epiſcopus.*

POſt Walterij II. *de Serceye* deceſſum Epiſcopus Cabilonenſis anno circiter 1163. electus eſt. Vir proſapiâ, pietate, morum integritate, prudentiâ & doctrinâ celebris. Quid ſcripſerit noſter laudatiſſimus Antiſtes hactenùs eſt mihi in obſcuro, præter

Epiſtolas duas ad Ludouicum VII. Iuniorem Francorum Regem Chriſtianiſſimum, quas referunt Andreas Ducheſnius, Turonenſis, Hiſtoricorum Princeps, *Tomo* IV. *Hiſtoriæ Francorum Scriptorum*, pag. 649. & Claudius Robertus, ex Chartulario Cabilonenſi, in *ſua Gallia Chriſtiana*, nunquam ſatis *laudata*.

Claruit anno Verbi Incarnati M. CLXXIII. ſub Ludouico VII. Iuniore Francorum Rege. Obiit VI. Idus Nouembris. Iacet Ciſtercij cum ſequenti Epitaphio.

Hic duo Pontifices ſerui, veri Salomonis
Pauſant, Henricus Æduæ, PETRVS *Cabilonis.*

De *Petro Cabilonenſium Præſule* fuſiùs legendi ſunt, Petrus Naturel, *de Epiſcopis Cabilonenſibus*, Petrus Sanjulianus Baleurreus, *in Antiquitatibus Cabilonenſibus*, Claudius Robertus, *in Gallia Chriſtiana*, Ioannes Chenu, *in Chronologia Præſulum Galliæ*, Iacobus Seuertius, Bellijocenſis, Eccleſiaſtes. Lugdunenſis, *Ibid.* Nicolaus Sanmarthanus, Pariſinus, *in Hiſtoria Eccleſiaſtica Cabilonenſi, MS.* Samuel Guichenon, Matiſconenſis, Aduocatus Burgenſis Sebuſianorum, *in Hiſtoria Sebuſiana, cap. 36.*

THEOBALDVS *Epiſcopus.*

EX Canonico Trecenſi in Campaniâ, ob vitæ integritatem, morum candorem, iudicij maturitatem & eruditionis

nis famam, Episcopus Cabilonensis, anno Domini M.CCLXI. post decessum Alexandri à Burgundia, totius Cleri consensu, electus. Quo in officio vigilanter laborans, suam, & multorum, prædicando, operatus est salutem. Cùm esset Theologus celeberrimus & Concionator eximius, Scripsit

Sermones varios, quos Abbati & Monachis monasterij Firmitatis super Gronam, Ordinis Cisterciensis, testamento, legauit.

Obdormiuit in Domino Cabilone, anno post partum Virginis M.CCLXIV. Iacet in monasterio Firmitatis.

De *Theobaldo Episcopo Cabilonensi* CL. V. Nicolaus Camuzatus, Canonicus Trecensis, *in Auctario Promptuarij sacrarum Antiquitatum Tricassinæ Diœcesis.* Petrus Naturellus, *in Catalogo Episcoporum Cabilonensium*, Petrus Sanjulianus Baleurreus, *Ibid.* Ioannes Chenutius, *Ibid.* Claudius Robertus, *Ibid.* Iacobus Seuertius, *Ibid.* Nicolaus Sanmarthanus, *Ibid.*

YVO DE POISEV.

GAllus, ex Monacho Ordinis S. Benedicti Prior S. Marcelli Cabilonensis, deinde Abbas Cluniacensis anno Domini M.CCLVII. creatus post Guilielmi de Pontoise assumptionem ad Episcopatum Agennensem. Vir prosapiâ, probitate, religione & eruditione illustris, qui scientiarum amore ita captus fuit, vt incœperit structuram Collegij Cluniacensis Parisiis, quam posteà absoluit Yuo de Chasans ipsius nepos & successor. Scripsit hoc Pieridum decus, vt conijcio,

Historiam figuralem; quæ (Teste Antonio Posseuino) asseruatur MS. in Bibliotheca S. Galli apud Heluetios.

Obiit Cluniaci, anno Verbi Incarnati M.CCLXXV. Die VIII. Septembris: Sepultus est inter altaria S. Iacobi & S. Clementis.

De *Yuone de Poiseu* Claudius Robertus, *in Gallia Christiana*, Gerardus de Aruernia, non verò de Antuerpia, Canonicus eruditus, nostro Yuoni dedicauit *suum Chronicon*, quod

incipit à principio mundi, & desinit anno 1272. iussu Guidonis de Turre, Episcopi Claromontani, Ordinis Prædicatorum, *conscriptum*. Extat MS. in Bibliotheca Regis Christianissimi, *num. 1124*. & in Petauiana, *num. 1185*.

IOANNES GERMAIN *Episcopus*.

BVrgundus, patriâ Cluniacensis, præclaris natus parentibus. Hic à teneris annis bonam indolem & ingenium ad pietatem bonásque literas formatum ostendit. Vndè in vtrisque singulari parentum sollicitudine, diligenter instructus est. Tandem in flore iuuentutis, parentibus relictis, Parisios petiit, studia philosophica absoluit & ad Theologica transiit, in qua Academia totius orbis primaria celeberrimus Doctor euasit. Crescente verò ætate & famâ ad honores & Ecclesiæ dignitates adspirare cœpit, ad quæ obtinenda plurimùm illi suffragabatur & animi prudentia & vitæ integritas. Ad inclytum Burgundię Ducem accedens honorificè ab eo acceptus est, eiúsque prudentiâ & ingenii perspicacitate cognitâ, Serenissimi Ducis consiliis publicis priuatísque negotiis interesse cogitur. Sensu enim peruigil, consilio prouidus, in responsis prudens, sermone cautus & moderatus erat. Demùm à Philippo Duce *cognomentò* Bono Episcopus Niuernensis, postea Cabilonensis, constitutus, ac Ordinis Velleris-aurei Cancellarius, cuius iussu Orator ad Concilium Constantiense missus est, in quo tàm prudenter se gessit, & tàm suauiter fortitérque orauit, vt negotium sibi commissum optimo fine ad Ducum Burgundiæ gloriam conclusit atque absoluit, nempè primum locum post Reges eis in perpetuum obtinuit. Noster præstantissimus Antistes fuit Vir omni virtutis ornatu & multiplici melioris eruditionis suppellectile instructissimus, æternum Musarum decus, magnus Hæreticorum & Infidelium hostis, Pauperum pater munificentissimus, Religiosorúmque benefactor singularis, etiam Magnatibus charus extitit, & præsertim Ioanni Ioffredo, Sequano Burgundo

S. R. E. Cardinali doctissimo, cui erat intimus. Scripsit noster incomparabilis Antistes Latino idiomate.

De Conceptione Beatissimæ Virginis Mariæ Libros duos: Extant MSS. Cabilone, in Bibliotheca Illustrissimi ac Reuerendissimi D. D. Iacobi Nuchezii, Præsulis Cabilonensis, in folio.

Aduersus Mahometanos & Infideles opus pręgrande, Philippo cognomento Bono Burgundiæ &c. Duci dicatum. Extat MS. Ibid. & in Bibliotheca Regis Christianissimi in folio.

Aduersus Turcarum Alcoranum Libros v. Extant MSS.

De Sarracenorum legis falsitate Tractatum. Habetur MS. in Bibliotheca Regis Christianissimi *Cod. 360.* in folio.

Aduersus hæreses Augustini de Roma Librum tempore Concilii Basiliensis scriptum. MS.

In Libros IV. *Sententiarum Magistri Petri Lombardi* Commentaria MSS.

De Animarum purgatione Librum MS.

Thesaurum Pauperum. MS.

Iter Cœli seu *de Regimine Ecclesiasticorum & Laicorum suæ diœceseos* Librum MS.

Sermones & Instructiones. Extant Cabilone MSS. in celeberrima Biblioth. Clarissimi Viri Ioan. Christoph. Virey, Cameræ Computorum Magistri, nunc dignissimi Sacerdotis.

Orationes duas Latinas in Concilio Constantiensi nomine magni Philippi Boni Burgundiæ &c. Ducis *habitas*. Extabant olim MSS. in Bibliotheca Illustrissimi Claudii Patarini, Senatus Diuionensis Principis, & in illa Petri Sanjuliani Baleurrei, Decani Cabilonensis.

Mappam Mundi Philippo bono Burgundiæ &c. Duci *dicatam*. Quæ falsò edita est diuersis in locis sub nomine *Primi Episcopi Cabilonensis*, præsertim Parisiis, apud Iacobum Keruer in 4. 1573. cum *Martyrologio* Vsuardi, Latinè. Extat MS. in pergameno, in thesauro insignis Ecclesiæ Cathedralis Calilonensis; necnon in Bibliotheca Iacobi Nuchezii Cabilonensium Episcopi in 4. Gallicè in pergameno; penes me etiam habeo.

Alia Germani *scripta* hactenùs mihi sunt incognita.

Mortuus est in Castello Salæ propè Cabilonem, anno partus Virginei M.CCCCLX. die II. *mensis* Februarii: sepultus est in sua Cathedrali, ante Sacellum Diuę Virgini de Pietate, anno M.CCCCXLII. dicatum & à prædicto Antistite ædificatum, in sepulchro lapideo, cum eius effigie ad viuum repręsentante, ornamentis pontificalibus decorata, sed ab Hæreticis mutilata.

De *Ioannis Germani* laudibus & scriptis, Ioannes Ioffredus S.R.E. Cardinalis, *in Epistola dedicatoria Orationum suarum*, quas habuit nomine Philippi Boni Burgundiæ Ducis ad Nicolaum V. Romanum Pontificem & ad Alphonsum V. Portugalliæ atque Algarbii Regem, & quas legi MSS. Semuri apud Mandubios, in Bibliotheca Patrum nostrorum Carmelitarum, Bartholomæus Chassanæus, Heduus, Præses Aquensis, *in Catalogo gloriæ Mundi part. 5. considerat. 45.* Petrus Naturel, *de Episcopis Cabilonensibus* MS. Petrus Sanjulianus, *in Miscellaneis Historicis*; & *in Antiquitatibus Cabilonensibus*, Claudius Robertus, *in Gallia Christiana*, Ioannes Chenu, *in Chronologia Præsulum Galliæ*, Iacobus Seuertius, *Ibid.* Nicolaus Sanmarthanus, *in Historia Ecclesiastica Cabilonensi* MS. Ludouicus Golut, *in Historia Reipublicæ Sequanicæ*, Ioannes Iacobus Chiffletius, *in insigniis Gentilitiis Equitum Ordinis Velleris aurei*, Franciscus Grudeus à Cruce Cœnomana, *in Bibliotheca Gallica*, Andreas Duchesnius, *in Bibliotheca Historiographorum Franciæ*, Franciscus Lanouius, Ordinis Minimorum Theologus, *in Tractatu de Cancellariis Franciæ*, Petrus Palliot, Parisinus, Typographus & Calcographus Regius Diuionensis, *in Opere suo* quod prænotauit *Parlamentum Burgundiæ cap. 2.* Sub nomine *Primi* Episcopi Cabillunensis, testimonia perhibent, magnus Cardinalis Baronius *in Notis ad Martyrologium Romanum*, Thomas à Iesu, Hispanus, Carmelita Excalceatus, *libro Hispanico de Antiquitate Ordinis Carmelitarum*, Andreas du Saussay, Officialis Parisiensis, *de Scriptoribus Galliæ Mysticis*, Philibertus Fezayus Carmelita, Doctor Theologus ac Professor Regius in Academia Borbonia Aquensi, *in Duplici Priuilegio sacri Scapularis Or-*

dinis & Confraternitatis Gloriosæ Virginis Mariæ de Monte Carmelo, Controu. 1. Michael Muñoz, Bericus, Carmelita, *in Propugnaculo Eliano*, eum malè vocat Petrum, Ioannes Baptista de Lezana, Carmelita, *Tomo secundo Annalium Carmelitarum*, Iacobus Foderé, Sabaudus, olim Franciscanorum Cabilonensium Guardianus, *in Topographia Conuentus Franciscanorum Cabilonensium*,

IOANNES GIRARD *Sacerdos.*

CAbilonensis, natione Burgundus, natus Giuriaci, quod est oppidum Diœcesis Cabilonensis primo lapide distans. Vir sanè multæ lectionis & in voluendis historiis Ecclesiasticis ac præsertim Sanctorum Vitis & Actis perscrutandis admodum versarus, vt testantur ea quæ posteritati reliquit. Scripsit enim noster eruditus Sacerdos Latino sermone.

Historiam de Sanctorum Vitis. Quæ incipit. *Vniuersum tempus* &c. Legi MS. in folio Cabilone, beneficio D. Andreæ Cler Cabilonensis Aduocati, qui tunc eam possidebat.

Viuebat anno Christi M. CCCCLIII.

De *Ioanne Girardo* testimonia perhibent, Claudius Robertus, Canonicus, Maior Archidiaconus & Vicarius Cabilonensis, *in Gallia Christiana*, quæ nunc est sub prælo, *operâ* Sceuolæ & Ludouici Sanmarthanorum Fratrum, & Nicolaus Sanmarthanus, *in Historia Ecclesiastica Cabilonensi, MS.*

PETRVS DE VIREYO *Abbas.*

FAmilia est VIREYORVM apud Cabilonenses, quæ originem traxit Neustria: an noster PETRVS sit ortus ex eadem gente, vel è pago eiusdem nominis, qui, vno lapide à Ciuitate Cabilonensi distat, nihil habeo sanè certi. Is ab ineunte ætate factus est Monachus monasterij Maceriarum, Ordinis Cisterciensis, in Diœcesi Cabilonensi;

Academiam Parisiensem in bonis literis nutricem habuit. Illic enim in studiis primùm Philosophiæ deindè Theologiæ, magnum & illustre nomen sibi conciliauit. Tandem nunquam à studiis cessauit, donec summam in Theologia lauream fuerit consecutus, idcirco à Senatu Academico Parisino Theologici Doctoratus insignibus ornatus. Cùm esset eximia pietate & religione præditus, primùm fuit Collegij Bernardinorum Parisiensium Cellarius, deindè regalis Cœnobij Caroli-Loci in Diœcesi Syluanectēsi Abbas XXXI. post Thomam Abbatem ab anno Christi M.CDLVIII. vsque ad annum M.CDLXXI. postremò Abbas Clarauallensis ordine XXXIX. in Diœcesi Lingonensi in Campaniæ Comitatu ad Albam fluuium post Philippum, omnibus Monachorum votis, electus, anno M.CDLXXI. Vir magnis naturæ dotibus illustris, sapientiâ, prudentiâ, auctoritate ac multiplici doctrinâ præclarus. Scripsit

Vitam S. Guilielmi Abbatis Caroli-Loci posteà Archiepiscopi, Primatis & Patriarchæ Bituricensis; Vt colligo ex Chrysostomo Henriquez Monacho Ordinis Cisterciensis *in suo Menologio ad diem* X. *Ianuarij*, qui citat Petrum Abbatem Caroli Loci Vitæ *S.* Guilielmi Scriptorem. At in *Catalogo MS. Abbatum Caroli-Loci* penes me asseruato nullum Petrum Abbatem, post S. Guilielmum reperio, præter nostrum Petrum de Vireyo, ideò legitimum vitæ *S.* Guilielmi auctorem censeo.

Ex hac vita migrauit placidè in Domino anno post Christi natiuitatem M.CDXCVII.

De *Petro de Vireyo* testimonia perhibent Catalogus MS. *Abbatum Carol.-Loci*, quem habeo, beneficio D. Cæsaris Margotin, Segusiani, Concionatoris eximij, Claudius Robertus, *in Gallia Christiana*, Angelus Manrique, Hispanus, *in Annalibus Cistercensibus*, Gaspar Iongelinus, Antuerpiensis, *in Notitia Abbatiarum Ordinis Cisterciensis*, Chrysostomus Henriquez, *loco citato*.

CLAVDIVS DESCOVSV *Latinè* DISSVTVS. *I.C.*

CAbilone in Burgundia præclaris ortus parentibus, ab ipsa adolescentia non solùm probitatis, sed etiam ingenij magnum specimen dedit & futuræ doctrinæ signa non obscura ostendit; post perceptas in patriâ literas humaniores ad Philosophiæ & Iurisprudentiæ studia destinatus est, in quibus tam fœliciter aliquot annos in iis literis collocauit, vt inter doctissimos illo tempore, meritò numeraretur. Vt præclarus & eximius Iurisconsultus, scripsit Latinè.

De Clausis derogatoriis Tractatum.

Quid aliud scripserit & quando vixerit, nihil habeo explorati.

De *Claudio Dissuto* Ioannes Neuizanus, Astensis, Iurisconsultus, *in Indice Iuris*, Conradus Gesnerus, Tigurinus, Medicus, *in Bibliotheca Vniuersali.*

ANDREAS DV POVPET *Episcopus.*

NAtione Sequano-Burgundus, vtriúsque Iuris Doctor, ex Abbate Sancti Petri Cabilonensis, Ordinis S. Benedicti, Episcopus eiusdem Ciuitatis per cessionem Patrui, anno Christi M. CCCCLXXX. constitutus ac Consiliarius Parlamenti Burgundiæ. Hic cùm esset Vir prudentiâ, probitate, morum suauitate, ingenio & literis clarus, interfuit Comitiis Turonensibus anno M. CCCCLXXXIII. celebratis, & Regibus Christianissimis Ludouico XI. Carolo VIII. & Ludouico XII. charus extitit. Episcopatu Cabilonensi spontè Ioanni Popeto renunciato, auctoritate Apostolicâ, factus est Episcopus Salonitanus in Oriente, & quod inauditum est, Canonicus Ecclesiæ Cathedralis Cabilonensis, Archidiaconus, posteà Decanus. Quo in munere defunctus est. Scripsit ad vtilitatem ouium suarum.

Constitutiones, quas habuit Cabilone in Synodo anno, Domini M. CCCCLXXXXIX. celebrata. Obiit Cabilone anno redemptionis humanæ M. DVI. sepultus est in monumento, quod sibi viuens, parauerat in Ecclesia Cathedrali cum hoc Epitaphio.

Hac iacet ANDREAS *clausus sub mole* POPETVS
Antistes generis gloria magna sui.
Qui primus olim virtuti deditus annis
In Jure est Doctor factus vtròque micans.
Post hæc ingenio præstans, linguæque lepore,
Vrbem adijt Romam, Romulidúmque domos.
Et mox Pontifici clara virtute supremò
Dilectus; Francis Regibus inde fuit:
Námque inseruiuit tribus idem Regibus: hosque
Consilio iuuit tempora longa suo.
Sícque huius vixit Præsul meritissimus ædis
Peruigil vt proprias qui refoueret oues:
Quémque auus hæredem, Tiaræque, pedíque reliquit,
Illa hæc germano reddidit æque suo.
Hoc igitur tandem requiescit marmore carmen
Qui supplex vestras agitat ille preces.

De *Andrea Popeto* testimonia perhibent, Petrus Naturel, *in Catalogo Præsulum Cabilonensium*. Petrus Sanjulianus Baleurreus, *in Antiqnitatibus Cabilonensibus*, Claudius Robertus, *in Gallia Christiana*, Nicolaus Sanmarthanus, *in Historia Ecclesiastica Cabilonensi* hactenùs *inedita*. Ioannes Chenu, *in Chronologia Præsulum Galliæ*, Iacobus Seuertius, *Ibid.* P. Petrus Guillebaud à Sancto Romualdo, Fulliensis, *Tomo tertio Thesauri Chronologici & Historici anno* M. DVI.

G. GONTERIVS.

G. GONTERIVS

CAbilonensis, Burgundus, Iacobo Fabro Stapulensi viro longè doctissimo charus & notus. Vir amœnissimi & politissimi ingenij, ac Latinè Poëseos, laude percelebris. Scripsit

Carmina Latina in laudem *Epitomes* Iacobi Fabri Stapulensis *in duos Libros Arithmeticos* Diui Seuerini Boëtii, *edita* Parisiis Typis Henrici Stephani 1514. in folio. Quæ ibidem leguntur. Inc.

Tempore iam multo doctæ latuere sorores,
Quas retinet Comites flaua Minerua suas.

Hæc pauca de *Gonterio nostro concive* reperi; vtinam alia eius scripta essent mihi nota. Vixit anno Christi M. DXIV.

IACOBVS DE MORTIERES *Poëta.*

NAtus Cabilone, Canonicus Ecclesiæ Collegiatæ S. Georgii Martyris eiusdem Ciuitatis pius & eruditus, Vir qui non modò ingenio verùm etiam calamo, vtpotè bonis instructus artibus, plurimùm valuit. Hic cùm esset Poëta suo æuo non incelebris, è Latino Baptistæ Mantuani cognomento Hispanioli Ordinis nostri Carmelitici Antistitis nunquàm satis laudati ac Poëtarum suâ ætate facilè Principis in Carmen Gallicum vertit.

Parthenices Marianas. Lugduni, apud Claudium Nourry & Ioannem Besson, 1523. in 4.

De *alijs* eius *scriptis*, nihil certi habeo.

Floruit anno Christi redempti M.DXXIII. Obiit tandem Cabilone & sepultus est in perantiqua Basilica S. Georgij Martyris.

De *Iacobi de Mortieres*, scriptis lege, si lubet, Antonium Verderium Dominum Vallisprivatæ *in Bibliotheca Gallica*,

Philibertum Mareſchalum *in Promptuario omnium Librorum Gallico*; Georgium Draudium, Germanum, *in Bibliotheca Exotica*, Guilielmum Colletetum, Pariſinum, Virum de Republica literaria optimè meritum *in Vitis Poëtarum Gallorum* hactenùs *ineditis*, Bibliothecam noſtram Carmelitanam *in Baptiſta Mantuano*.

HVGO DISSVTVS *Iuriſconſultus*.

CLaudij Filius, ni fallor, Cabilonenſis, vtriuſque Iuris Doctor. Hoc homine nihil doctius aut candidius Cabillo noſtra tulit; nam in Iure aliiſque ſcientiis verſatiſſimus extitit. Fuit etiam noſter egregius Conciuis antiquâ probitate ac ingenio, iudicióque celebris. Scripſit Gallico idiomate,

In Conſuetudinem Burgundiæ Commentaria. Lugduni, apud Petrum Ballet, 1516. & Geneuæ, apud Petrum & Iacobum Chouet, 1632. in 4. *operâ & ſtudio* Iobi Bouuoti Cabilonenſis Iuriſconſulti.

Lecturam Philippi Franci Peruſini Iuris Pontificij Cæſareique Doctoris celeberrimi *ſuper ſextum* Decretalium edi curauit, recognouit & Ioanni Popeto Cabilonenſium Epiſcopo dicauit anno Chriſti 1523. Lugduni, Typis Ioannis Thomé, 1523. in 8.

Viuebat noſter eruditiſſimus Iuriſconſultus ſub Franciſco I. Francorum Rege Chriſtianiſſimo.

De *Hugone Deſcouſu*, Claudius Robertus, *in Catalogo Epiſcoporum Cabilonenſium in Ioanne Popeto*, Nicolaus Sanmarthanus, *in Hiſtoria Eccleſiaſtica Cabilonenſi*, Iobus Bouuotus, *in Commentariis in Conſuetudinem Burgundiæ*, & *in Epitome Commentarij Generalis in relatam Conſuetudinem*.

LVDOVICVS GVILLART *Episcopus*,

PAtriâ Parisinus, Andreæ in Senatu Parisiensi Præsidis Filius, primùm Episcopus Tornacensis, deinde Carnotensis, tandem Cabilonensis, postremò Syluanectensis. Vir generis splendore, morum honestate & eruditionis famâ illustris. Cùm esset Cabilonensium Præsul, publicauit & edidit

Statuta Synodalia Diœcesis Cabilonensis M. DLIV.

Scripsit præterea *Constitutiones Synodales Diœcesis Carnotensis*, anno M. DXXVI. in sua Synodo generali, feriâ quartâ post festum S. Lucæ *ordinatas* & *promulgatas*. Parisiis, apud Iolandam Bonhomme, viduam Thielmanni Keruer 1538.

Constitutiones alias Synodales eiusdem Diœcesis Carnotensis, nuper *congestas*, *editas* & *publicatas* in sua Synodo generali, anno Domini M. DL. mense Octobri. Carnoti, apud Philippum Hotot : vt habeo ex *relatione* Ioannis de Launoy, Doctoris Parisiensis peritissimi.

Episcopatum Cabilonensem moderatus est ab anno Domini M. DLIII. vsque ad M. DLX. quo ad Syluanectensem translatus est. Obiit Parisiis oculis captus, cùm antea monoculus esset, anno M. DLXV. Iacet apud Albimantellos, cum sequenti inscriptione Gallicâ,

> *Cy gist Reuerend Pere en Dieu Messire* LOVIS GVILLART *en son viuant Euesque de Tournay, & depuis Euesque de Chartres, Chaalons & Senlis consecutiuement, Conseiller & Maistre de l'Oratoire du Roy, lequel deceda en son Hostel de Paris, ruë des Blancs-manteaux l'an* M. DLXV.

De *Ludouico Guillarto* legendi sunt, Petrus Naturel, *de Episcopis Cabilonensibus*, Petrus Sanjulianus Baleurreus, *in Antiquitatibus Cabilonensibus*, Claudius Robertus, *in Gallia*

Christiana, Ioannes Chenu, *in Chronologia Præsulum Galliæ*, Iacobus Seuertius, *Ibid.* Nicolaus Sanmarthanus, *in Historia Ecclesiastica Cabilonensi*, *MS.* Iacobus Brulius Benedictinus S. Germani de Pratis, *in Theatro Antiquitatum Parisinarum*, Guilielmus du Peyrat, Lugdunensis, *in Historia Ecclesiastica Aulica*, Sebastianus Rouillard, Melodianensis, Aduocatus Parisiensis, *in Historia Carnotensi.* Ioannes Cognatus, Tornacensis *in Historia Tornacensi*, Carolus Iaulnay, Canonicus & Decanus S. Reguli Syluanectensis, *in Annalibus Præsulum Syluanectensium.*

IOANNES DE NAISEY *Historicus*,

CAnonicus & Archidiaconus insignis Ecclesiæ Cathedralis Sancti Vincentij Cabilonensis. Vir nobilitate, pietate, probitate, ingenio & eruditione conspicuus, Historicus suâ ætate haud contemnendus. Scripsit

Historiæ Regum Francorum Epitomen, seu, *Chronicon*, MS: Cabilone, in Bibliotheca Vireyjana.

Mortuus est Cabilone, anno reparatæ salutis, M. DLXX. die XXIX. Decembris: tumulatus est in Ecclesia Cathedrali.

De *Ioanne de Naisey* testimonia reddunt, Petrus Sanjulianus Baleurreus, *in Antiquitatibus Cabilonensibus*, pag. 439. Claudius Robertus, *in Gallia Christiana*, editionis secundæ. Nicolaus Sanmarthanus Scæuolæ Secundi Filius, *in Historia Ecclesiastica Cabilonensi* MS. Bibliotheca nostra *Historiographorum Francorum* hactenùs inedita *in Carolo* IX.

IOANNES ENNELLANVS,

NAtione Burgundus, Iurisconsultus Cabilonensis. Vir amœni ingenij & singularis doctrinæ laude percelebris. Edidit Latino idiomate,

Apologeticam Epistolam ad Lectorem, de Andreæ Tiraquel-

li criminatione, in Bartholomæum Chassanæum, Heduum I. C. doctissimum, Senatorē Parisiensem, posteà Præsidem Senatus Aquensis. Incipit. *Cùm nuper in cuiusdam Tiraquelli Pictonensis enarrationem* &c Legi ante *Commentaria* Bartholomæi Chassanæi *in Consuetud. Ducatus Burgundiæ*, Geneuæ, apud Samuelem Crispinum 1616. in folio *edita*.

Viuebat Cabilone anno redemptionis humanæ M.DXXXV. vt colligo ex eadem Epistola.

NICOLAVS BELLOFREMONTIVS. SENESCÆVS,

Natione Burgundus, Baro Senescęi apud Cabilonenses, Præfectus Prætorii Francię, Comes Consistorialis, ac Pretor Cabilonensis, deindè Pręses Camerę nobilitatis in Comitiis Blesensibus, anno Domini M.DLXXVI. celebratis, verum Martis Mineruæque delicium. Vir sanè prosapiæ illustrissimæ, raræ prudentiæ; summæ auctoritatis & probitatis. Interfuit Reformationi Consuetudinis Burgundiæ. E Latino in Gallicum vertit

S. *Saluiani Episcopi Massiliensis de vero Iudicio & Prouidentia diuina* Tractatum ad S. Salonium Episcopum Viennensem VIII. *Libris* distinctum, Lugduni, apud Guilielmum Rouille, 1575. in 8. Scripsit præterea,

Orationem, quam habuit Blesis anno M.DLXXVI. *coram Henrico* III. *Francorum & Polonorum Rege*. Parisiis, apud Mathurinum Breuille, 1577. in 8. & *in Collectione Generali Comitiorum Galliæ* Parisiis 1651. in 4. Gallicè *edita*.

Alia Senescæi *Opera* me latent.

Decessit in suo Castello Senescæo inter Cabilonem & Trenorchium, plenus dierum & annorum 1582. die 10. Februarii, ætatis suæ LXII. Ibidémque iacet cum sequenti inscriptione.

NICOLAVS DE BAVFFREMONT, Baro Senesceius, Eques cocleatus, regi à Consiliis, & Toparcha Cabilonensis, obiit ætatis suæ 62. & ab orbe redempto 1582. mense Februarij die 10.

Iob. 7. *Ecce nunc in pulere dormio.*
Iob. 17. *Et expecto donec veniat immutatio mea.*
Psal. 33. *Redimet Dominus animas seruorum suorum.*
Rom. 8. *Et creatura liberabitur à seruitute*
Coruptionis in libertate gloriæ filiorum Dei.
Iob. 6. *Reposita est hæc spes mea in sinu meo.*

Ioach. Bellaius. De Seipso.
Hoc solum, sed tibi quæso viator.
De me dicere me pium fuisse.
Nec læsisse pios pius si & ipse es.
Manes lædere tu meos caueto.

Cui potui, profui; nemini obfui; optima quæque optaui ambitionem, luxum, turbam, forum, aulam, iamdudum valere iussi; quod si desipui, multis sapui, modò paucis, hisque bonis sat est.

Celuy qui gist icy, espera constamment
Tout ce qu'il ne peut veoir que de l'entendement,
Et en ce consolant aux escriptures sainctes,
La seule patience accompagna ses plaintes.

Quos anguis dirus tristi mulcedine pauit.
Hos sanguis mirus Christi dulcedine lauit.

De *Nicolai de Bauffremont de Senescey* laudibus & Scriptis, Franciscus Belleforestus, *Tomo primo*, *Cosmographiæ Vniuersalis*, Illustrissimus Præses Iacobus Augustus Thuanus, *in Historia sui temporis anno* M. DLXXVII. Henricus Cathari-

nus Dauila, *in Historia Tumultuum Franciæ*, Petrus Mathieu, Historiographus Regius, *Ibid.* Petrus Sanjulianus Balcurreus, *lib. 2. Antiquitatum Burgundiæ*, *cap. 25. pag. 653.* & *in Miscellaneis Historicis*, Georgius Draudius, Germanus, *in Bibliotheca Exotica*, Philibertus Mareschallus, *in Promptuario Librorum Gallico*, Scipio Duplex, *in Henrico III.* Claudius de Rubys, Lugdunensis ei dedicat *Commentaria in Burgundiæ Consuetudinem.*

IACOBVS FOVRRE' *Episcopus.*

IN Vico Manuuilari decimo lapide ab Vrbe Carnuto distante, honestis natus parentibus, in adolescentia institutum Ordinis Fratrum Prædicatorum amplexus est. Parisios missus omnes artes liberales ac scientias philosophicas magno cum fructu perdidicit, demùm tàm strenuam etiam Theologiæ dedit operam, vt in ea summam & laudem & lauream consecutus fuerit. Ex Doctore igitur Theologo Parisiensi Concionator Caroli IX. Francorum Regis Christianissimi factus est, postea Abbas Liuriacensis, tandem Episcopus Cabilonensis. Vir sanè doctrina & moribus syncerus, ac Hæreticorum hostis acerrimus. Scripsit Gallico idiomate,

Orationem Funebrem Ferdinandi Imperatoris, quā habuit in Ecclesia Cathedrali Parisiensi, anno Domini M. DXLIV. die XIX. Septembris. Prodiit Parisiis, apud Guilielmū Niuerd.

Sermones varios MSS.

Mortuus est Cabilone, anno post Christum natum M. DLXXVIII. die XX. Ianuarii, Episcopatus sui V. sepultúsque est in Cathedralis Ecclesiæ choro, ante maius altare, sub tumba lapidea. *Petrus Sanjulianus Balcurreus*, Decanus Cabilonensis, sequens de nostro Antistite æternitate digno Epitaphium carmine lusit.

QVid sibi vult populi tam magna frequentia flentis?
Quid quod lustrali rore madescit humus?
Cur lugubre sonant triduum conflata vocandis

Ad sacra Christicolis æra chorúsque sacer?
Luctus quare aliqui portant insignia? tædas
Quid iuuat illustri sic radiare die?
Ah bone Christe horum facile est cognoscere causam:
Prô dolor! agnosco funeris exequias.
Heu Cabilon viduata suo est Antistite, quo non
Vtilior potuit Plebe rogante dari.
Cui fuit orandi vis admirabilis, & cui
Hæsit perpetuò diua Suada comes.
Orba suo Cabilon benè charo Præsule, luctum
Edit; cui nullus par dolor esse potest.
Nec minui poterit, nisi successore recepto,
Quem Plebs amisso sentiat esse parem.
Fac Deus ereptum fœlice quiescere sorte.,.
Et successorem da Deus alme bonum.

M. D L X X V I I I.

His versibus animi ægritudinem, quam de præmatura morte Reuerendi Patris *D.* I*acobi Fourré Doctoris Theologi* P*arisiensis &* C*abilonensium Episcopi meritiss. contraxerat, minuere conobatur* P*etrus* S*anjulianus* B*aleurreus* C*abilonensis Ecclesiæ Decanus.*

Obiit xx. Ianu. M. L X X V I I I.

De *Iacobi Forræi* laudibus & Scriptis, Petrus Naturel, *de Episcopis* C*abilonensibus*. Petrus Sanjulianus, *in Antiquitatibus* C*abilonensibus*, Nicolaus Sanmarthanus, *in Historia Ecclesiastica* C*abilonensi* MS. Claudius Robertus, *in Gallia* C*hristiana*, Iacobus Seuertius *in* C*hronologia* P*ræsulum* G*alliæ*, Ioannes Chenu, *Ibid.* Franciscus Grudé de la Croix du Maine *in Bibliotheca Auctorum* G*allorum*, Ioannes Michael Pius, Dominicanus, Bononiensis, *de Illustribus Viris Ordinis* P*rædicatorum*; Petrus Louuetus, Sequanus, Dominicanus Diuionensis, *Ibid.* Ambrosius Gazæus, *Ibid.* Ioannes Maller, Doctor Theologus Parisiensis, Vicarius Generalis F F. Prædicatorum.

rum per Gallias, *de Illustribus Viris FF. Prædicatorum Conuentus S. Iacobi Parisiensis*, Iulianus Brodæus, Aduocatus Parisiensis, *in Collectione Senatus Consultorum* sub litera *E*. Ludouicus Donius Artichius, Episcopus Regiensis, doctissimus *in Probationibus quòd Episcopus sit habilis ad successionem*, Iobus Bouuotus *Tomo 1. Quæstionum notabilium Iuris*.

CLAVDIVS DE PONTOVX.

CAbilonensis, præclarâ ortus prosapiâ, Doctor Medicus, egregium patriæ suæ decus, ac assiduus Musarum cultor, linguarum Græcarum Latinarûmve ac Italicarum peritissimus. Hic annos adolescentiæ in capessendis artibus liberalibus & in perdiscēdis omnibus philosophicis scientiis optimè collocauit; & ingenium, quod ipsa natura dederat subtile & peracutum, harum disciplinarum exercitiis, & quotidiano cultu mirificè instruxit & longè acutius reddidit. Posteà ita operam dedit Medicinę, vt supremam doctoratus lauream, omnium applausu, acceperit. Adiunxit etiam, noster PONTOSIVS, his omnibus scientiis difficillimis & præstantissimis artem Poëticam, quam magnoperè, toto vitæ cursu, dilexit & exercuit. Sed amplissimum florentis ingenii doctrinæque multiplicis argumentum ex eius libris omni melioris eruditionis genere refertis petatur. Scripsit enim linguâ Gallicâ.

Gelodacriam Poëma Lyricum. Lugduni, apud Benedictum Rigaud, 1569. in 16.

Carmina Gallica pro figurarum Noui Testamenti Interpretatione. Lugduni, apud Guilielmum Rouille, 1570. in 8.

Orationes Lamentabiles in diuersorum animalium mortem è lingua Etrusca *excerptas* & linguâ Gallicâ *redditas* & *locupletatas*, in quibus ad viuum animalium naturæ & eorum proprietates repræsentantur. Lugduni, apud Benedictum Rigaud, 1570. in 16. *Has orationes* Latinè reddidit ac vertit eruditissimus Guilielmus Canterus, Vltraiectensis. Lugduni Batauorum, 1590. in 8.

D.

Rhetoricam Facetam. Lugduni, apud Benedictum Rigaud, 1570. in 16.

Ideam Poëticam siue *Opera Poëtica.* Lugduni, apud Benedictum Rigaud, 1579. in 16.

Scenam Gallicam duas Tragœdias & tres Comedias historijs sui æui accommodatas continentem. MS. [E Græco in linguam Latinam satis eleganti stylo transtulit.

S. Basilij Magni Orationem adolescentibus discipulis & nepotibus directam quale commodum percipere poterunt è libris Græcis Auctorum Prophanorum Ethnicorum. Parisiis, apud Ioannem le Royer, 1561. in 8.

In Pace quieuit Cabilone circa annum Christi nati M. DLXXIX. Locus eius sepulturæ est omninò mihi ignotus. Nam triplex est sepultura Pontosiorum; vna in Ecclesia Cathedrali; altera verò in Ecclesia Patrum Carmelitarum, in Sacello trium Regum propè Sacristiam; Tertia in Xenodochio. In qua Sepulturam acceperit, nihil certi habere potui.

De *Claudij Pontosij* scriptis & laudibus, magnus Cabilolonensium Præsul Pontus Tyardęus, *in Carmine in Pontosij obitum*, Guilielmus Altarius, Prætor Cluniacensis, *Ibid.* Ioannes Amatus Chauineus, Belnensis, *Ibid.* Nicolaus Iulien, Cabilonensis Aduocatus, *Ibid.* Iacobus Guijonius, Heduus, *Ibid.* Antonius Verderus, *in Bibliotheca Gallica*, Franciscus Grudé de la Croix-du Maine, *Ibid.* Georgius Draudius, *in Bibliotheca Exotica*, Philibertus Mareschal, *in Promptuario omnium Librorum Gallico*, Guilielmus Colletetus, *in præclaro opere de Poëtarum Gallorum Vitis.*

PHILIPPVS BELLICVS vel BELLVS, [Cabilonensis, Burgundus, Poëta Lat. non ignobilis Edidit

Tetrasticon ad Lectorem *Libri* Ioannis Macri Santinei *de Prosperis Gallorum.* Parisiis, apud Guilielmum Guillard 1555. in 8. *editi.*

Epigramma ad Franciscum Grimoaldum. Extat ante *Tractatum de Monetis* Francisci Grimaudet Andecauensis 1586. in 8. *editum.*

Alia eius *scripta* mihi sunt *ignota.*

TVSSANVS DVCRETVS *Medicus.*

NOnnulli corruptè DVKETVM vocant, patriâ Cabilunensis, pro Cabilonensis (Cabilonum est nomen antiquum apud Cæsarem; modernum verò est Cabilunum vel Cabillunum & Cabillinum, licet reperiatur in vetustis numismatis Cabillunensibus, quæ diligenter asseruantur in præclarissimo Cimiliarchio Amplissimi Viri Achillis Harlæi, Comitis Consistorialis, ac libellorum supplicum Magistri, Comitis Bellomontij &c.) natione Burgundus, Doctor Medicus celeberrimus. Habuit Cabilo inter alia scientiarum sydera stellam præfulgentissimam TVSSANVM DVCRETVM rei medicinæ peritissimum, cui tanta fuit medendi peritia, vt alter Æsculapius diceretur. Is Cabilone in Heduis ingeniorum fœcunda nutrice, Ciuitate, honestis natus parentibus, primis Grammatices elementis ab ineunte ætate in patria delectatus, præceptorem habuit *Viuantium Rubionem* Doctorem Medicum doctissimum, vt ipsemet DVCRETVS testatur in Epistola nuncupatoria ad *Rubionem* scripta, quæ extat ante Commentarios duos de Febribus. *Nam meminisse* (inquit) *iuuat, quo studio quantâque curâ & diligentiâ primùm quidem in patria me vixdum septimum agentem annum, æqualésque meos complures primis Grammatices elementis initiaueris: deindè verò Lutetiam translatum cæteris bonis artibus ad humanitatem informaueris.* Peractis igitur studiis humanioribus ac philosophicis in Academia Parisiensi omnium totius Orbis celeberrima Cadurcum, Tolosam & Burdegalam contendit, vbi aliquandiù cum Viris doctissimis versabatur. Tandem ad Medicinam animum adiecit, in qua tam egregios fecit progressus, vt publicis Academiæ Monspeliensis suffragiis doctoralem lauream acceperit; eo fusiùs id indicante in præfata Epistola. *Indè quam & illustris tui fama per Occitaniam, Aquitaniam, inter omnes omnium Ordinum homines percrebuerit, nemo melius me nouit, qui & eo, tuo impulsus consilio veni, & tua humanitate fretus Cadurci, Tolosæ, Burdega-*

le, necnon in aliis earum regionum primariis vrbibus in multorum doctorum & probatissimorum virorum familiaritatem & amicitiam fui admissus. Et paulò inferiùs. *Exactis illic aliquot annis, quùm me ad artis Medicinæ studium, in quo iam nonnihil promoueram: quid non in me præstitisti, quo augustissimæ artis cognitionem aliquam consequi possem? quid tam abstrusum, quid tam implicitum quod non euolueris atque expedieris. Sic me sacris medicinæ tui vnius opera vtrùmque initiatum non grauatus es Mompessulum deducere & SCHYRONIO, RONDELETIO, SAPORTÆ, FONTANONO, HONORATO, CASTELLANO, GVYCHARDO felicis memoriæ viris eruditisimis commendare. Horum doctissimis lectionibus quadriennium auditis, atque consuetudine cum ipsis mihi per te conciliata doctior vtcùmque factus, quùm ad artis munera obeunda meipsum accingerem, & ad te potissimùm procul à nobis disitum venire statuissem, quò feliciùs id assequerer: hic proh dolor! sæua & inaudita belli tempestas, quâ misera patria tot annos percellitur atque conquassatur, me aliò vela dirigere, & ad portum aspirare coëgit, huc me modò, modò illuc rapiens.* Hactenùs verba DVCRETI. Vir fuit Paracelsitarum osor acerrimus, ac linguarum Græcarum Latinarúmque peritissimus, ingenio & eloquentia clarus. Sed nunc operum, quæ edidit indicem subijciamus, vt saltem ex titulis, tanquam ex vngue leonem, Lector doctrinam Ducreti intelligat. Scripsit enim Latinè ad Thomam Erastum Medicum Professorem primarium in Academia Heidelbergensi

De Arthritide veram assertionem, eiúsque curandæ methodo aduersus Paracelsitas. Lugduni, apud Bartholomæum Vincentium, 1575. in 8.

Commentarios duos: Vnum de Febrium cognoscendarum curandarúmque ratione: Alterum, de earundem crisibus. Lausannæ, excudebat Franciscus Le Preux, Illustriss. D. Bernensium Typographus, 1578. in 8. Viuantio Rubioni Doctori Medico *dicatos.*

Epigramma Latinum ad Ludouicum Villanouanum Doctorem Medicum.

Alia eius *scripta* me latent.

Floruit anno post Christi natiuitatem M.DLXXIX. Deuixit,

tandem extra patriam religionis Caluinianæ Sectator.

De *Tuſſano Ducret*, teſtimonia perhibent, Ioſias Simlerus, Tigurinus, *in Bibliotheca Abbreuiata Conradi Geſneri*, Georgius Draudius, Germanus, *in Bibliotheca Claſſica*, Ioannes Cleſſius, Germanus, *Ibid.* Ioannes Georgius Schenckius, *in Bibliotheca Medica*, Paſchalis Gallus, *Ibid.* Ioannes Antonius Vander-Linden, Batauus, *de Scriptoribus Medicis*, Fabianus Iuſtinianus, Preſbyter Congregationis Oratorij de Vrbe, *in Indice Vniuerſali*, v. *Febris*. Elias Ehingerus, Bibliothecarius Auguſtanus, *in Catalogo Bibliothecæ ampliſſimæ Auguſtanæ*: In noſtri Ducreti *laudem Carmina Græca & Latina* ſcripſerunt Ioannes Serranus Hiſtoriæ Franciæ Scriptor, Ioannes Antonius Sarracenus, Antonius Fayus Miniſter Geneuenſis, P. Meillerius, M. Bucherus & D. M.

PHILIPPVS ROBERTVS *Iuriſconſultus*,

Natione Burgundus, patriâ Cabilonenſis. Is ab eo tempore, quo prima literarum elementa proferre & aliquo modo percipere poterat, ſemper ſtudiis conſecratus, in iis diligenter verſabatur diſciplinis, quarum ætas & ingenium erat capax. Ad perdiſcendas bonas artes, præſertim Iuris Scientiam, Auaricum Biturigum ni fallor, miſſus, incredibili ſcientiarum amore captus, dies noctesque in bonis ſtudiis ita feliciter, propter ingenij maturitatem & ardens diſcendi deſiderium, collocauit, vt emenſo ſtudiorum curſu, ad ſupremam in vtroque Iure dignitatem euectus ſit. Hanc auguſtiſſimam Iuris Scientiam tanquàm certiſſimam æquitatis normam ſummo in precio ſemper habuit, eiúſque vim & neruos accuratè intellexit. Præterea fuit noſter ROBERTVS literarum omnium Latinarum & Græcarum eruditiſſimus & inter Aduocatos Senatus Burgundiæ eximius, in Philoſophia etiam Platonica optimè verſatus, Ponto Tyardæo Cabilonenſium Præſuli aliiſque magnis Muſagetis charus. Sed nunc quos doctrinæ fœtus pepererit hoc fœcundum & facundum ingenium videamus. Scripſit enim hoc

Musarum decus & delicium,

De Platonicæ æternitatis arcanis Librum.

Carmina Latina in improbum Censorem operum Ponti Tyardæi Episcopi Cabilonensis.

E Græco in Gallicum vertit

Isocratis de Pace sinceram exhortationem. Parisiis, apud Ioannem Parent, 1579. in 8.

Alia eius *opera* sunt mihi incognita.

Vixit anno post aduentum Messiæ M.DLXXX.

De *Philippi Roberti* laudibus & scriptis eruditissimus noster Antistes Pontus Tyardæus, *libro de recta nominum impositione*, qui etiam ei inscripsit librum suum contra *PP. Iesuitas*, Franciscus Iuretus Diuionensis, Canonicus Lingonensis, *in Notis ad Symmachi epistolas*, Antonius Verderus, *in Bibliotheca Gallica*, Philibertus Mareschalus, *in Promptuario omnium librorum Gallico*, Georgius Draudius, *in Bibliotheca Exotica*.

NICOLAVS IVLIEN *I.C.*

CAbilone, nobili ortus prosapiâ. Si non maiore, pari certè doctrinę gloriâ superiores noster IVLIANVS subsequitur. Is primis annis, in patria humanioribus literis, deinde philosophicis ac Iuris Scientiis sedulam operam impendit. Vir sanè, cuius tanta fuit auctoritas apud Conciues suos, vt eorum nomine anno 1576. cum CL. VV. Adriano de Roueray, Eleemosynario Regio, Decano Belnensi, & Priore Chanacensi, Nicolao Bellofremontio Senecæo, Claudio Guillaudo, Petro Villedieu & Benedicto Lauerin, interfuit Comitiis Blesensibus. Fuit præterea eruditus, morum probitate, ingenij acumine & literarum cognitione conspicuus, Poëta etiam non iniucundus. Scripsit ad Claudium Pontosium Cabilonensem Medicum & Poëtam clarissimum

Carmina varia. Quorum quædam legi ante *opera Poëtica* Pontosij.

De *alijs* nihil habeo comperti.

Viuebat noster Clarissimus Conciuis Cabilone, anno partus Virginei M.DLXXX. Annus eius obitus est mihi ignotus; sepultus est tamen in communi sepultura IVLIANORVM in peruetusta Basilica Collegiata S. Georgij Martyris.

IACOBVS VINTMILIVS *Decanus.*

E Comitibus Vintimiliarum natus, Rhodius Lascarinus, Senator Diuionensis, deinde post obitum Ioannæ Gros Coniugis suæ charissimæ Canonicus Cabilonensis & Eduensis, posteà Archidiaconus Belnensis, postremò Decanus Cabilonensis. Multiplici laude nomen suum VINTMILIVS noster immortale reddidit. Interfuit reformationi Consuetudinis Burgundiæ. Nam variarum linguarum exacta notitia, quæ ad homines illustrandos vna ferè sufficere semper existimara est, exiguam partem in illustrissimi huius viri laudibus occupat. In omnium denique scientiarum cognitione peritissimus & versatissimus extitit, Magnaribus charus & notus. E Græco in Gallicum vertit & Francisco I. Francorum Regi Christianissimo dicauit

Cyropædiam Xenophontis VIII. *libris distinctam*, in quibus agitur de vita, institutione & factis Cyri Persarum Regis. Parisiis, apud Stephanum Groulleau, 1547. & Lugduni, apud Ioannem de Tournes in 4. ad Henricum II. Regem, hæc vltima editio scripsit

Historiam Herodiani de vita & gestis successorum Marci Aurelij, ad Imperium Romanum in VIII. *Libros diuisam*, Annę Mommoranciano Franciæ Connestabili *dicatam.* Lugduni, apud Ioannem de Tournes, 1554. in folio & Parisiis, apud Federicum Morellum, 1580.

Apologiam & Defensionem Lysiæ Oratoris Græci in homicidium Eratosthenis in adulterium deprehensi. Lugduni, apud Benedictum Rigaud, 1576. in 8.

Digesta in Pandectas Florentinas, quæ Notis illustrauit. Parisiis in folio.

Poëma Saturnale Latinum & Gallicum *cum Platonis Dia-*

logo, qui inſcribitur *Theages* vel *Sapientia*. Lugduni, apud Carolum Peſnot, 1564.

Poëma alterum; De victoria nauali Chriſtianorum aduerſus Turcas, Non. Octob. M. DLXXI. Senatui Populóque Veneto *dicatum.*

Poëma inſcriptum, Poma, ad Iacobum Guijonium, Eduenſem, virum eruditiſſimum, qui Pyra cum *Poëmate* miſerat.

Genealogiam Comitum Vintimiliarum, Palæologorum & Laſcarienſium ad Maclouium Pomponium Senatorem Diuionenſem. Gallicè.

Vitam ſuam, quâ vſus eſt Petrus Palliot, Pariſinus, Typographus & Calcographus Regius Diuionenſis in ſuo opere, quod vocauit *Parlamentum Burgundiæ*.

Alia eius *opera* ſunt mihi *ignota*.

Migrauit ad Dominum Diuione, anno à Chriſti natiuitate M. DXXCII. Sepultus eſt in Baſilica S. Michaëlis in Sacello Groſſorum, iuxtà coniugem. Sequens Epitaphium condidit *Libro Epitaphiorum*, Ioannes Girardus, Diuionenſis.

Hic mortuus Vintmillius
Probat probata comprobat
Viginti & vltra millia
Probiſſimorum exterritu
Doctiſſimorum mortua
Quæſo quot hac in Francia
Sunt reliqui docti probi?
Rariſſimi, pauciſſimi.
O ſi probus doctiſſimos!
O ſi probos doctiſſimus,
Hos pauciores reliquos,
Non terreat, non enecet!
Begatium, Pomponium
Sequutus eſt VINTMILLIVS

Communiter

Communiter notus omnibus
Saltatione iambica:
Nos hunc sequemur posteri.

EIDEM.

Cur non iambis impetam
Mors te meis amara mors
Vixit diu VINGTMILLIVS
Pro commodis Burgundiæ
Vixisse, vel diutius
Desiderat respublica
Carere VINGTMILLI *fuit*
Tanti tibi tuo plusculum
Pomponio vt nos perderes?
Illi tuum tu verticem
Desiderasti forsitan
Nudum recens ostendere.
An te renatum nouerit
A morte quæsitum est tua?
Responsa nulla mors tuas
Vias obambulans facis.
Cur non iambis impetam
Te mors meis amara mors.

De *Iacobo Vintimillio* Franciscus Grudeus à Cruce Cœnomana, *in Bibliotheca Gallica*, Antonius Verderus, *Ibid.* Georgius Draudius, *Ibid.* Philibertus Marefchal, *in Promptuario Literario Gallico*, Iacobus Guijonius, Eduensis, *in Carmine ad Vintimillium*, Claudius Robertus, *in Gallia Christiana*, Nicolaus Sanmarthanus, *in Historia Ecclesiastica* Ca-

bilonensi MS. Guilielmus Colletetus, *in Vitis Poëtarum Gallorum*, Petrus Palliot, *in Parlamento Burgundiæ.*

HVGO DVRAND *Carmelita*

CAbilonensis, Sacerdos, postea Prior. Vir Musarum alumnus, ac linguarum peritus, Concionator insignis, & qui Bibliothecam Patrum Carmelitarum Cabilonensium, variis voluminibus illustrauit. Scripsit Latino sermone.

Necronologium seu *Catalogum Patrum ac Fratrum Carmelitarum Cabilone quiescentium*, quorum Nomina *Liber vitæ* conscripta detineat. Extat MS. in Bibliotheca Carmelitana Cabilonensi, penes me etiam habeo. Cui continuationem addidi.

Obiit in regno Siciliæ, circà annum salutis humanæ M.DXXC.

PETRVS NATVREL *Præcentor.*

EX Canonico Ecclesiæ Cathedralis Cabilonensis Præcentor, Officialis & Maior Vicarius quinque Episcoporum Cabilonensium, Archidiaconus Trenorchianus atque Thesaurarius Ecclesiæ Lingonensis, Prior S. Iuliani in Gerasio & Balmæ de Rupe: Vir, qui cum singulari doctrina semper præclaram coniunxit pietatem atque modestiam, temperantiam, & castitatem vsque ad supremum spiritum perpetuò coluit, & cuius auctoritas magno fuit in pretio apud Burgundos. Nam extitit vnus ex illis, qui Burgundiæ Consuetudinem reformauerunt, cum quinque alijs illustribus Cabilonensibus, videlicet Nicolao de Beaufremõt, Præfecto Cabilonæo, Petrarchâ du Blé, Domino de Cormatin, Francisco Philippes, Canonico & Thesaurario Ecclesiæ Cabilonensis, Antonio Faton I.C. Vrbis Maiore & Ioanne Gautheron, Scabino. Præterea fuit in historia

præsertim Ecclesiastica Cabilonensi versatissimus ac peritissimus & aliis etiam scientiis optimè imbutus. Scripsit Latinè

Historiam Ecclesiæ Cathedralis S. Vincentij Cabilonensis, quâ potitus est Petrus Sanjulianus Balleurreus, *in sua Historia Cabilonensi.* Extat MS. in Musæo D. Bernardi Durandi Cabilonensis Aduocati, & in amplissima Bibliotheca Cl. v. Ioannis Christophori Virey, Cabilonensis, Magistri Cameræ Computorum Burgundiæ.

Decessit Cabilone: ibidemque sepultus est in Ecclesiæ Cathedralis choro, ad dexteram summæ aræ, vbi legitur sequens Epitaphium.

DIVIN. ÆT. TRIADI.

Piiss. manib. perpetuæ memoriæ PETRI NATVRELLI, *qui cum Collega sacri huius Collegij* XLIV. *Coriphæus & Chorostates* XXV. *annis fuisset quinque Episcop. Cabilon. Vicariâ operâ leuasset, mente sanâ in corpore sano castiss. religiosiss. & piiss. vixisset se seque moribus castigatiss. emaculatiss. animo atque ingenio per literas diuinas & humanas elucidatiss. exempla, admirandum atque imitand. omnibus hominum ordinib. præbuisset. Anno instauratæ salutis generis humani* CIↃ. IↃ. LXXXII. *die* IX. *Nouemb. & ætatis suæ* LXX. *Christo fidissimè innitens, non duris, sed leniuscul. senij dolorib. fractus, bonorum omnium mœrore, mortuus est.*

PONTVS TYARDÆVS EPISCOP. CABILON. HOC AMICITIÆ ET PIETATIS. EXTREMVM. OFFICIVM. PRÆSTANS.

P. C.

Christiane Viator, Fœlix in rem tuam benè precatus. Abi *Philipp. Bataille Reg. Cabilon. Consiliar, vtriúsque amicitiæ ergo, hac in tabella ænea, hoc piiss. monument. Sculpend. & affigiend. Cur.*

M. D. LXXXII.

De *Petro Naturello* perhonorifica reddunt testimonia, Petrus Sanjulianus Balleurreus, *in suis Antiquitatibus Cabilonensibus* Andreas Duchesnius, *vel* Quercetanus, Turonensis, Geographus Regius, *in Bibliotheca Historiographorum Franciæ*, Claudius Robertus, *in Gallia Christiana*, Iacobus Seuertius, *in Catalogo Præsulum Cabilonensium*, Nicolaus Sanmarthanus Scæuolæ Secundi Filius, *in Historia Ecclesiastica Cabilonensi*, quam vidimus omnibus numeris absolutam, singulari erga nos, Clarissimi Auctoris humanitate & amicitiâ. Iussu Illustrissimi necnon Reuerendissimi D. D. Iacobi Nuchezij Cabilonensium Antistitis, composita. Cuncti auidius eam expectant.

CELSVS HVGO DISSVTVS *Iurisconsultus*.

MAgnum sanè familiæ DISSVTORVM ornamentum Cabilonensiúmque decus. Is à teneris annis in studiis bonarum literarum in patriâ educatus, maturioris paulatim factus iudicij mirificè Musis delectabatur, & nihil melius existimabat, quàm vt dotes, quas natura dederat amplissi-

mas, augeret, & industriâ redderet perfectiores, dùm eas artibus quasi splendidis quibusdam ornamentis excoleret & insigniret. Deindè Parisios profectus philosophicis studiis strenuam, magno cum feruore, nauauit operam. Tandem philosophico cursu peracto Auaricum Biturigum velut ad emporium optimarum literarum missus, animum ad Iurisprudentiæ, exemplo parentum suorum Claudij & Hugonis Dissutorum, studium appulit, vbi tantos in hac præclarissima & augustissima scientia fecit progressus, vt illos honoris supremos acceperit titulos, quos primæ notæ Iurisperitis Academiæ conferre consueuerunt. Vir equidem suâ ætate ob perfectam Iuris Scientiæ cognitionem cùm apud Gallos, cùm apud Hispanos, apud quos diù vixit, vt testantur eius Consilia, longè Clarissimus. Cùm esset igitur exquisitâ eruditione præditus, ac omnibus ingenij dotibus decoratus, opera multa composuit & egregia laboris & ingenij testimonia reliquit. Hoc præclarum Iuris lumen in lucem emisit

Notas in Opera Bartholi de Saxoferato. Lugduni 1552. in folio.

Consilia de rebus Iuris, in Hispania, à Magnatibus & Iurisconsultis celeberrimis ad nostrum DISSVTVM, *quæsitis*. In quibus *omnes penè Iuris controuersiæ, quæ in foro tàm Pontificio quàm Cæsareo quotidianis disceptationibus agitantur, enucleatè & ad amussim decisæ sunt, atque maiori quàm antehac diligentia emendatæ & excusæ*. Lugduni, Sumptibus Sib. à Porta 1570. in folio: iterum 1586. in folio.

In Clausulas & Conclusiones Vtriúsque Iuris Tractatum. Coloniæ, 1563. & Venetiis 1570. in 4. Extat *Tomo* XVIII. *Tractatuum Iuris*, fol. 490.

Practicam Iudiciariam Baldi de Perusio & Lanfranci de Oriano edi curauit & castigauit, *Notisque* illustrauit & dedicauit Viro Venerabili, imprimísque amico Domino Roleto Gnichoto eorundem identidem Iurium Doctori celeberrimo, Cabilonensi. Coloniæ, apud Ioannem Gymnicum, 1572. in 8.

De *alijs* eius *Scriptis* nihil hactenùs explorati habeo.

Viuebat noster doctissimus Conciuis, anno à partu Virgineo, M.DLXXX.

De *Celsi Hugonis de Dissutis* laudibus & scriptis Contradus Gesnerus *in Bibliotheca Vniuersali*, Franciscus Bursatus, Mantuanus I. C. *in Consiliis*, Gabriel Sarayna I. C. Veronensis, *in Editione Lanfranci de Oriano aureæ Practicæ Iudiciariæ*, Elias Ehingerus, *in Catalogo Bibliothecæ amplissimæ Augustanæ*; Georgius Draudius, Germanus, *in Bibliotheca Exotica*, Ioannes Clessius, *Ibid.*

CLAVDIVS BELLO FREMONTIVS
SENESCÆVS *Baro.*

NIcolai Filius natu maior, Præfectus Cabilonensis, Vrbis & Castelli Assonensis Prorex. Vir summis naturæ dotibus præditus, prudentiâ & consilio magnus, virtute & religione clarus, ingenio, doctrinâ & eloquentiâ admirabilis. Quibus nominibus apud Henricos III. & IV. Reges Christianissimos & totius regni Magnates magno fuit in precio & honore. Interfuit Comitiis Blesensibus, vbi nobilitatis Franciæ assensu, Orator electus est. Hic Heros inclytus edidit.

Orationem, quam habuit Blesis anno M.DLXXXVII. *ad Henricum III. Francorum & Polonorum Regem.* Parisiis, 1587. in 8.

Hanc vitam cum meliore mutauit anno salutis reparatæ M.DXCVI. ætatis suæ L. sepultus est in Sacello Castelli Senescæi.

De *Claudio de Bauffremont de Senescey* Gilbertus Genebrardus Archiopiscopus Aquensis, *libro 4. Chronographiæ*, Iacobus Augustus Thuanus, *in Hist. sui tẽporis anno* M.DLXXXVII. Henricus Catharinus Dauila, *de Bello Ciuili Gallico*, Scipio Duplex, *in Henrico III.* Petrus Mathieu, *in Historia Tumultuum Galliæ*, Petrus Sanjulianus, *in Miscellaneis Historicis*, Franciscus Grudé de la Croix-du-Maine, *in Bibliotheca Gallica*; Antonius Verderus, Dominus Vallispriuatæ, *Ibid.* Georgius Draudius, *in Bibliotheca Exotica*. Philibertus Marescal, *in Promptuario Literario Gallico*. Franciscus de Belle-

foreſt, *Tomo I. Coſmographiæ Vniuerſalis.*

IACOBVS GERMINIVS *Legatus.*

IN Germola pago Cabilonenſis agri anno M. D. XXXIII. humilibus, ſed honeſtis natus parentibus. Cardinalis Borbonij domeſticus, deindè Henrici III. Galliæ & Sarmatiæ Regis ad Amurathem Turcarum Imperatorem anno Domini M. DXXCII. poſt Franciſcum & Ægidium Noallios viros nobilitate & virtute conſpicuos, Legatus. Vir in rebus agendis ſolers, in dirigendis prudens, & fœlix, moribus ſanè vrbanus, ingenio excellens, eruditione clarus ac liberalitate in pauperes & Eccleſiam Cabilonenſem illuſtris. Scripſit Gallico ſermone

Rerum ſuo tempore geſtarum Commentaria MSS. Cabilone aſſeruantur apud D. Ludouicum Blondeau, Cabilonenſem, Aduocatum,

E vita exceſſit Cabilone, anno poſt Chriſti natiuitatem, M.DXXCVII. ſepultus eſt in Eccleſia Cathedrali San-Vincentiana, in ampliſſimo Sacello ab ipſo ſplendidè conſtructo, cum ſequenti Epitaphio, à Magno Ponto Tyardæo Cabilonenſium Præſule, compoſito:

ADSTA. PAVLISPER. VIATOR.
& LEGE.

IACOBVS GERMINIVS *heic ſitus ſum. Ohé. Egone? mortuus mentiar, qui viuus nunquam, nec heic ego, ſed mea oſſa ſita ſunt. Vbi. Cœlum, quod mihi, prius illuxit, ſolum quod prius calcaui, & Templum quod me Deo primum erudiuit, manes cum cinere meos tegunt. Humili ſed honeſto genere natus, armis & conſilio duos Reges Galliæ iu-*

ui, qui me summa etiam legationis apud Imperatorem Turcarum honore & onere dignati sunt. Tandem honore cum onere functus, & onere cum honore leuatus, dum humanæ quieti me dedendum paro. Ecce mors æternæ me quieti dedit. Sat est, ita vixi, vt me vixisse non pœniteat, & ita sum mortuus, vt boni omnes me viuum desiderent.

Puer. Pœniæ. Iuuenis. Fortunæ. Adolescens. Labori. Vir Regiis. Negotiis. Vixi. Annos. LIII. menses. XI. Dies XIV. Mihi. Nunc. Quia. Viuo. Non. Licuit. Mortuus. viuo.

Viator. Vale. Et. Bene. Precatus. Abi. In. Rem. Tuam. Bonam.

Nimis mali estis, mali Medici, qui malum sanguinem exhaurire putantes boni IACOBI GERMINII, *Equitis, aureo torquati conchilio, hominis supra hominem fœlici & eleganti ingenio præditi, atque ad modestiam, magnanimitatem, cæterásque virtutes omnes nati, bonam vitam exhausistis. Illúmque, cui, dùm Henrici III. Galliæ & Poloniæ Regis Christianiss. iussu & commodo, apud Turcam Legatum prudentissimè ageret, mare toties fluctuosum pepercit; luctuosis morte vmbris & vndis ineluctabilibus, reducem immersistis. O nouum extra salum naufragij, genus J. E. quo tamen benè actæ vitæ fama virtutisque gloria, tanquam salutaris tabula, emergentem naufragum, solo, cœlo & posteritati saluum reddit.*

Perpetuæ

Perpetuæ verò memoriæ, amicus beneuolentissimus, lugens, has lachrymas ob amici desideratissimi, æstatem ætatis, adhuc viridem, quam immarcescendam hyemi æternæ tradidistis, bonorum omniũ malo dãno, & vestra incuria: Mala, mali Medici, qui pro clinicis Vespilliones estis.

Fudit, & Hoc Monumentum.

Non æquum est à quoquam mortuum lædi, qui viuus læsit neminem; Este ergo quieti, Manes piiss. & sanctiss.

P. T. B. E. C. Hoc extremum officium præstans ad æuiternam amici chariss. memoriam P. C. M.DLXXXVII.

De *Iacobo Germinio* Iacobus Augustus Thuanus, Historicorum Princeps, *lib.* 77. *Histor. sui temporis anno* M.DXXCVII. Claudius Robertus, *in Gallia Christiana* à Sanmarthanis *edita*, Nicolaus Sanmarthanus, *in Historia Ecclesiastica Cabilonensi.*

HVGO DONELLVS I.C.

Plurimos sanè cuiusuis disciplinæ eruditos homines nobilissima Ciuitas nostra Cabilo, olim Regum Burgundiæ, variis sæculis protulit. Inter quos quidem DONELLVS noster Iurisconsultorum suâ ætate magnus, multis nominibus eminet. Cabilone apud Heduos anno Dom. M.DXXVII. sub Francisco I. Francorum Rege Christianissimo, clarissimis natus parentibus Catholicis. Is ab adolescentia felici ingenio præditus Musas mirificè coluit, sed nimiâ præceptoris seueritate, eas aliquandiù reliquit; tandem patris astu &

minis denuò ad eas redijt, non sine magna animi contentione, vt testatur Scipio Gentilis, homo Italus *in Vita* Hugonis Donelli. *Fortè* (ait) *accidit, vt parens eius pertranseuntem illac pastorem suarium cerneret: quo ad se vocato coràm filio rogare instituit, ecquid puero aliquo administro vel famulo opus haberet? esse sibi domi filium, quem ei tradere ac mancipare cuperet, auersum à literis, inconditum, immorigerum. Ea voce adeo puer conterritus est, cùm rem seriò agi existimaret, vt parentis genibus aduolutus ac flens eum obtestaretur, sibi vt parceret, néue se filium suum in eas sordes proijceret: velle se literis deinceps operam studiosè dare.* Maiori igitur discendi studio, profectus est Turnonem, vbi literas humaniores & philosophicas admodùm dilexit. Academiâ Turnonensi derelictâ, Tolosam, parentum voluntate, petiit, ibique in Iurisprudentia audiuit Ioannem Corrasium & Arnoldum Ferrerium Tolosates, magnæ auctoritatis Iurisconsultos, qui publicè legebant, tanto applausu & auditorum concursu, vt ad quatuor millia eorum numerum excessit. Deindè Academiam Bituricensem, vtriúsque Iuris seminarium tunc toto orbe terrarum celeberrimum, vbi cum doctissimis viris conferre sermones & consuetudinem auere posset. Eguinarium Baronem & Franciscum Duarenum, Armoricum, Iuris Ciuilis celeberrimos fontes in hac Vniuersitate Iuris scientiam publicè docentes, audiuit, eorúmque lectionibus attentus auditor continuò interfuit. *Hos diligere* (prosequitur Scipio Gentilis) *& admirari statim* DONELLVS, *in eorúmque amicitiam sese insinuauit, perfecitque, vt mutuò ab illis diligeretur.* Duarenus *inprimis eius eximiâ indole perspectâ, eruditione etiam suprà vulgus studiosorum, in dies sibi eum maioribus officijs deuinciendum existimauit. Cuius viri* DONELLVS *opinionem de se non fefellit, sed superauit. Quo factum est, vt eodem anno (nempe* M. DLI. *die* XVII. *Iulij) doctoratus insignibus titulóque publicè à* Duareno *ornaretur, cuius extat inter eius posthumos libros de* DONELLI *laudibus, habitâ eo tempore oratio & à Magistratu Vrbis magnóque illo* Hospitalio *dignissimus iudicaretur, qui in collegium Antecessorum amplissimum cooptaretur. Quare, Ius Ciuile publico stipendio magnáque ingenij gloriâ profiteri cœpit etiam adolescens: quippè qui vigesimum quartum ætatis annum supergressus non-*

dum esset. Doctor Iuris DONELLVS renunciatus, amplo stipendio, Ius Ciuile annos nonnullos in hac Academia, magno auditorum concursu, vnâ cum Francisco Hotomanno, Parisino, & Iacobo Cuiacio, Tolosate, collegis vndequáque doctissimis, interpretatus est. Posteà Aureliæ, admirantibus omnibus stupendum hominis ingenium, omnigenam doctrinam, & solidum iudicium. Sed religionis Caluinianæ ergò Lugdunum se contulit, deindè Geneuam Allobrogum, post Heidelbergam, vbi à Serenissimis Principibus Frederico III. & Ludouico, Comitibus Palatinis S.R.I. Electoribus honorificè acceptus est, in qua Academia totius Germaniæ primariâ, aliquot annis, Ius Ciuile docuit, ac eiusdem Academiæ Rector extitit, non cum exigua gloria. Defuncto principe Friderico, ob religionis nouitatem multum molestiarum sustinuit, periculi nonnihil. Quapropter Heildebergâ derelictâ, Lugdunum Batauorum concessit cum coniuge & liberis, magnis stipendiis, ad eandem scientiam publicè docendam. *Instituerant per ea tempora Hollandi Academiam Leydæ, in Vrbe ampla & lauta. Ad quam ornandam & quasi extruendam vocatus statim fuit* DONELLVS, *procurante & adiuuante fortissimo illo sapientissimóque* Wilhelmo *Nassouio, Auraicæ Principe. Et iam in eo docebat* Iustus Lipsius *vir florentissimus. Horum duorũ famâ atque auspiciis dici vix poteſt, quàm breui Leydēsis Academia adoleuerit, confluente vndique ex omnibus oris iuuentute.* Anno Christi M.DLXXXVII. grauissimis religionis controuersiis in Hollandia ortis, DONELLVS *à Senatu monitus, vt* (inquit Iacobus Augustus Thuanus Præses eruditissimus) *aliò migraret, Altorfium se contulit, vbi Norimbergensis Reipublicæ stipendiis ad mortem vsque docuit.* Hoc lumen Iuris præstantissimum, cùm esset Vir publico hominum bono, & nobiliorum disciplinarum incremento natus multa præclaráque opera scripsit, quæ summam spirant eruditionem. Quãdiu noster eruditissimus Conciuis vixit, maximo in pretio fuit apud Michaëlem Hospitalium magnum Franciæ Nomophylacem, literarum & literatorum protectorem nobilissimum, vt colligitur ex epistola Hospitalij ad Donellum scripta, vbi dicit. *Ego Te penè prius quam nossem amaui. Ego*

ſemper ingenio & gloriæ tuæ fani. Ego tui in iſto dignitatis gradu collocandi Biturigibus auctor fui. Præterea Io. Corraſium, Arn. Ferrerium, Eguinarium Baronem, Petrum Fabrum, Franciſcum Duarenum, Mathæum Iarrium Cabilonenſem I. C. Fr. Hotomannum, Iuſt. Lipſium, Paul. Meliſſum, Marq. Freherum, Carol. Nützellium, Lambertum Ludolphum, Pithopæum, Ioan. Stamlerum, Simonem Stenium Lomacenum, Nicolam Taurellum Medic. Richardũ Hemeliũ, Ludou. Camerariũ, Ioan. Truncium, Georgium Remum I. C. Chriſtophorum Przyemsky de Golina, Edonem Huldericum, Albericum & Scipionem Gentiles ac alios magnos viros Muſarum cultores. Colebatur & ab aliis ſummis & eruditis viris DONELLVS, vt indicant elogia, quibus ab illis ex merito decoratus eſt: à Duareno præſertim valdè laudatus eſt in ſua pereruditа oratione, habita in cooptatione Hugonis DONELLI. Tãtâ ſanè laude Ius Ciuile, in omnib. illis Academiis, explanauit, vt veterum Iuriſconſultorum aliquis, Paulus, Vlpianus, aut Papinianus reuixiſſe, illorúmve animam, ex Pythagoræ ſententia, recepiſſe videretur. Sed nunc videamus quibus literarum monimentis viam ſibi muniuerit ad immortalitatem. Scripſit enim ad Scipionem Gentilem I. C. Italum,

Epiſtolam de Iure accreſcendi. Lugduni Batauorum, apud Dauidem Lopes de Haro. 1640. in 16. cum Thoma Papillonio I. C.

In Titulum de Vſuris in Pandectis & ſequentem Commentarium, ordine, hæc capita Iuris, complectens.

De Vſuris. Lutetiæ, apud Michaëlem Vaſcoſanum, 1556. Francofurti, apud Petrum Ficherum & Nicolaum Roth, in 4.

De Nautico fœnore. Ibidem.

De Fructibus, Cauſa & Acceſſionibus. Ibid.

De Mora. Ibidem.

Ad Titulum Digeſtorum de rebus dubiis Commentarium. Biturigibus, anno 1571. in 8. & Antuerpiæ, ex Officina Plantiniana, 1584. in 8.

Ad Titulum C. de Pactis & Tranſactionibus Commentarium.

Parisiis, 1573. in 8. & Coloniæ, apud Gymnicum, 1574. in 8. Biturigibus, 1572. in 8.

In Titulos sex Iuris Commentaria. Antuerpiæ, 1572. in fol.

Ad Titulum Digestorum de Præscriptis verbis & in factum actionibus Commentarium. Heidelbergæ, apud Mathæum Harnisch, 1574. in 8. & 1580. in 8.

De Eo quod interest Librum. Heidelbergæ, apud Mathæum Harnisch, 1574. in 8. Neostadij, apud Arnisium. Altorphij, 1589. & 1596. Lugduni Batauorum, 1630. in 8.

Ad Titulum Institut. de Actionibus Commentarium. Antuerpiæ, 1581. in 8. & Lugduni Batauorum, 1630. in 8.

Ad Codicem Iustiniani Commentarium. Francofurti, apud Ioannem Rhodium, 1599. in folio & 1621. apud Hæredes Petri Fischeri in folio. Iterum Ibid. 1626. apud Aubrios & Clementem Schleich, in folio cum *Recognitione* & *Præfatione* Scipionis Gentilis, Itali, I. C. celeberrimi.

Commentariorum ad Lib. IV. *Cod. Iustin.* Paralipomena è *Bibliotheca Ieremiæ Reusneri Iurisconsulti eximij* publicata. Francofurti, apud Ioannem Rhodium 1600. & 1602. in folio.

Ad Aliquas Cod. Iustinian. Lib. II. III. IV. VII. & VIII. *partes* Commentarium. Lugduni Batauorum 1574. in folio. Antuerpiç, 1587. in folio. Francofurti, apud Petrum Fischerum, 1599. in folio & 1620. in folio.

De Iure Ciuili Commentaria *in Libros* XXVI. distincta. Francofurti, Typis Wechelianis, 1610. in folio. Antuerpiæ, apud Petrum Bellerum, 1642. in folio, Edita iuxta *Indicem Expurgatorium* Bernardi Sandoualij &c. *Operâ* Osualdi Hilligeri.

De Pignoribus & *Hypothecis*. Francofurti, apud Petrum Fischerum in 4. & apud Nicolaum Roth. Coloniæ, apud Gymnicum in folio & 8. Lugduni. Extat *Tomo* VI. *part.* I. *Tractatuum Iuris*, fol. 258.

De Ædilitio Edicto. Ibid. apud eosdem

De Euictionibus & Duplæ stipulatione. Ibid.

De Probationibus. Ibid.

De fide Instrumentorum. Ibid.

De Testibus. Ibid.

Ad Titulum Pandectarum de diuersis Regulis Iuris antiqui Commentarium. Antuerpiæ, in 8.

Ad Titulos Digestorum de reb. cred. de iureiur. de Inlit. Iur. de cond. ex lege de Condict. Triticiar. De eo quod certo loco dari oportet Commentaria. Antuerpiæ, Typis Christophori Plantini, 1582. in folio, & Francofurti, 1626. in folio.

Ad Tit. ff. de Verborum obligationibus Commentaria. Francofurti, apud Sigismundum Feyrenbadium & Zachariam Palthenium, 1599. in folio.

Defensionem aduersus præscriptionem pro Ioanne Monlucio Episcopo & Comite Valentino & Diensi. Prodiit, 1579. in 8. sub nomine Zachariæ Furnesteri; sed huius defensionis legitimus Auctor est noster HVGO DONELLVS.

Opuscula posthuma, quæ continent

Commentarium ad Tit. 9. Libri 6. Codicis, qui admitti ad bonorum possessionem possunt, & intrà quod tempus. Hanouiæ Typis Wechelianis, apud Claudium Marnium, & Hæredes Ioannis Aubrij 1604. in 8. cum *Præfatione* Scipionis Gentilis.

Commentarium ad Tit. 10. eiusdem Libri. Quando non petentium partes petentibus adcrescant. Ibid.

Commentarium ad Tit. 11. eiusdem libri. De bonorum possessione secundùm tabulas.

Commentarium ad Tit. 12. libri eiusdem. De bonorum possessione contrà tabulas, quam prætor liberis pollicetur.

Commentarium ad Tit. 13. dicti libri. De bonorum possessione contra tabulas liberti, quæ patronis liberisque eorum datur.

Commentarium ad Tit. 14. eiusdem libri. Vndè liberi.

Commentarium ad Tit. 15 libri eiusdem. Vndè legitimi & vndè cognati.

Commentarium ad Tit. 16. eiusdem libri. De Successorio edicto.

Commentarium ad Tit. 17. libri dicti. De Carboniano edicto.

Commentarium ad Tit. 18. libri eiusdem. Vndè vir & vxor.

Commentarium ad Tit. 19. eiusdem libri. De repudianda bonorum possessione.

Commentarium ad Tit. 20. eiusdem libri sexti Codicis. De Collationibus.

Commentarium ad L. Gallus D. de liber. & posthum.

Commentarium ad Tit. 38. Libri VI. *Codicis.* De Verborum significatione.

Literas ad Albericum Gentilem.

Consilium Academiæ Altorphinæ nomine scriptum. De Iure pascendi &c.

Consilium alterum ad Ampliss. Noribergensem Senatum perscriptum.

Epistolas duas ad Michaëlem Hospitalium cum *Responsione* Hospitalij.

Literas ad Martinum Iarrium I. C.

Commentarium ad Tit. 34. Lib. 3. Cod. De Seruitutibus & Aqua.

Commentarium ad Tit. 36. Libri eiusdem. Familiæ Erciscundæ de iudiciis diuersoriis.

Methodicum Tractatum in Tit. 35. Lib. 3. Cod. Ad Leg. Aquiliam. Hanouiæ Typis Wechelianis. 1604. in 8.

Obijt Altorphiæ in Germania, in hæresi Protestantium, anno Incarnationis Dominicæ M. DXCI. die IV. Maij, ætatis suæ LXIV. Sepultus est ibidem cum sequenti Epitaphio.

Hugo. Donellus. Heduus. Nulli. Iurisconsultorum. Nostri. Sæculi. Secundus. In. Galliis. Initio. Mox. Inde. Ciuili. Bello. Flagrante. Secedere. Coactus. Heildebergæ. Deinde. Lugduni. Batauorum. Denique. Altorphij. Magna. Cum. Omnium. Admiratione. &. Concursu. Exterorum. Iura. Facundo. Ore. Docuit. Deo. &. Hominibus. Æque. Carus. Senio. Tandem. Confectus. Vitæ. &. Molestiarum. Satur. Piè. Ac. Placidè. Animam. Creatori. Reddidit. Anno. Reparat. Sal. Hum. M. DLXXXXI. Mense. Maio. Ætat.

Suæ. LXIV. Cui. Benè. Merito. De. Academia. Altorphina. Scholarchæ. Perennis. Memoriæ. Ergo.

H. M. P. C.

De *Hugonis Donelli* laudibus & ſcriptis, Franciſcus Duarenus, *in Oratione habita in cooptatione Donelli*, Scipio Gentilis, *in Vita Hugonis Donelli*, ſeu *Oratione habita in funere Hugonis Donelli*, Michaël Hoſpitalius; Albericus Gentilis & Petrus Faber, Donello *epiſtolas* ſcripſerunt, in eius Obitum *epicedia Latina* & *Græca* cecinerunt Scipio Gentilis, Paulus Meliſſus, Francus; Marquardus Freherus, Carolus Nützel, Lambertus Ludolphus Pithopœus; Iohannes Stamlerus I. V. D. Simon Stenius Lomacenſis; Nicolaus Taurellus Med. D. Richardus Hemelius, Regiocurianus, Francus; Ludouicus Ioach. F. Camerarius, Ioan. Truncius Boruſſus, Georgius Remus I. C. Chriſtophorus Przyemſky de Golina. De eo etiam teſtimonia perhibent Abrahamus Bucholcerus, Germanus, *in Indice Chronologico*. Illuſtriſſimus ac omni æternitate dignus Præſes Iacobus Auguſtus Thuanus, *lib. 88. Hiſtoriarum ſui temporis ann. 1577. & 1587. & lib. 100. ann. 1591.* Ioannes Meurſius, *in Athenis Batauis*, Gerardus Ioannes Voſſius, *in Præfatione Librorum de Hiſtoricis Latinis*, Iodocus Sincerus, *in Itinerario Galliæ*, Scipio Gentilis I. C. *in Præfationibus Operum Donelli*, Conradus Geſnerus, *in Bibliotheca Vniuerſali*, Georgius Draudius, *in Bibliotheca Claſsica*, Ioannes Cleſſius, *Ibid.* Hennius Groſſius, *in Indice Generali*, Ioannes Neuiſanus, *in Indice Iuriſperitorum*, Auguſtinus Barboſa I. C. Luſitanus, *in Collectaneis Doctorum tam veterum quàm recentiorum in Ius Pontificium Vniuerſum*, & *in Tractatu de Officio & poteſtate Epiſcopi*, Ianus Nicius Erythræus, *in elogio Cardinalis Alciati.* Dominicus Baudius; *Lib. II. Odarum.* Georgius Rittershuſius, *in Gratiarum Actione recitata in Panegyri Doctorali Altorphina prima d.* XXIV. *Nouembris anno* M. DCXXIII. Actus publicationis Priuilegiorum Doctoralium *Altorph. Norimbergenſ.*

bergens. Paulus Melissus Francus *in Epigramm. in laudem Donelli*, Ianus Gruterus *in Elegia ad Hugonem Donellum*, Osualdus Hilligerus I. C. Germanus *in Donello enucleato*, Iacobus Bongarsius, *in Epistolis ad Ioachinum Camerarium*, Andreas Gerhardus, *in Exercitationibus Iustinianeis*, Antonius du Verdier, *lib. 8. Prosopographiæ*, Michaël Virdungus *in Carmine in Scipionem Gentilem.*

PETRVS SANIVLIANVS BALLEVRREVS *Decanus.*

CLaudio Sanjuliano & Ioanna de Lantaiges in Castello Balleurreo in diœcesi Cabilonensi natus, natione Burgundus. Indoles ei à teneris annis fuit præclara, educatio curâ parentum optima, virtus & bonæ artes ei naturaliter cordi fuerunt, quibus suo tempore splendorem generis mirificè illustrauit. Adolescens Statum Ecclesiasticum, magno feruore, amplexus est, ex Notario Acolyto seu Protonotatario Apostolico, factus est auctoritate Pauli IV. Romani Pontificis primus Canonicus Sæcularis S. Petri Matisconensis, cùm profectus fuisset Romam ad huius Ecclesiæ Sæcularizationem obtinendam. In Gallias reuersus Canonicus Ecclesiæ Cathedralis S. Vincentij Cabilonensis gradus ergo constitutus & Decanus Cuseriensis ac S. Catharinæ de Brangia; posteà Canonicus & Archidiaconus Matisconensis; tandem Archidiaconus Trenorchianus, postremo Decanus Cabilonensis. Vir suâ tempestate Musarum delicium, Cleri Cabilonensis honos, patriæ immortale ornamentum, variis insignibus naturæ dotibus ac omnigenâ scientiarum cognitione clarus. Sanjulianus omne tempus quod ab horis noctè diéque in choro cantandis, vacuum habere potuit, sacris prophanísque historiis impendit. Peruoluit igitur summo & infatigabili labore omnes historicos optimæ notæ, Bibliothecásque amplissimas scrutatus est, è quibus collegit omnes res præclarè gestas antiquorum nostrorum Burgundionum, ab initio eorum monarchiæ vsque ad introitum Burgundionum in Gallias; Operíque titulũ dedit.

De Origine Burgundionum & Burgundiæ statuum antiquitate Libros duos. Parisiis, apud Nicolaum Chesneau, 1581. in folio. Gallicè

De Antiquitatibus Ciuitatis Æduensis Librum I. Ibid.

De Antiquitatibus Ciuitatis Cabilonensis Libros II. Ibid.

De Antiquitatibus Ciuitatis Matisconensis Libros III. Ibid.

De Antiquitatibus Vrbis & Abbatiæ Regalis Trenorchianæ Librum vnum. Ibidem.

De Burgundionum infantia & adolescentia Librum MS.

Historiam Burgundionum MS. Latinè.

De Origine Hugonis Capeti Discursum & Paradoxum, exceptum ex lite inter Ludouicum XI. Francorum Regem & Margaritam Burgundiæ Ducissam. Parisiis, apud Guilielmum Le Noir, 1585. in 8. & Lugduni, apud Benedictum Rigaud, 1588. in 8. Contra hunc Discursum scripsit Nicolaus Vignerius, Medicus, & Historiographus Regius, suppresso nomine.

Apologiam aduersus Anonymum, Discursum de Origine Hugonis Capeti impugnantem. Lugduni, apud Benedictum Rigaud 1588. in 8.

Miscellanea paradoxorum, seu *Miscellanea Historica & diuersarum materiarum Collectanea.* Lugduni, apud B. Rigaud 1588. in 8. In his Miscellaneis agitur *de Burgundiæ familiis*.

Gemellas siue *Pares ex diuersis Auctoribus tam Græcis, Latinisvè quàm Gallis collectas.* Lugduni, apud Carolum Pesnot, 1584. in 8.

Carmina Latina & Gallica diuersa, quæ sparsim in suis operibus leguntur, *edita.*

è Græco in linguam Latinam transtulit.

Institutionem Plutarchi de Ira reprimenda. Lugduni, apud Ioannem de Tournes 1546. in 8. & Parisiis, apud Iacobum Bogard, 1546. in 16.

De Curiositate Opusculum. Ibidem, apud eosdem.

Opusculum aliud in quo disputatur, an morbi animæ, grauiores sint morbis corporis. Ibidem, apud eosdem.

Ex hac vita migrauit Cabilone, anno redemptionis humanæ M. DXCIII. die XX. Martij: Ibidémque sepultus est, in

Choro Ecclesiæ Cathedralis, ad cornu Euangelij summæ aræ, cum hac breui inscriptione, supra tumbam lapideam, apposita.

Petri. Sanjuliani. Balleurrei. Cabilonensis. Ecclesiæ. Decani. Depositum. Qui. Obijt. Die. XX. Martij. Anno. Domini.

M.DXCIII.

De *Petri Sanjuliani* laudibus & scriptis Conradus Gesnerus, *in Bibliotheca Vniuersali*, Antonius Posseuinus, *in Apparatu Sacro*, Antonius Verderius, *in Bibliotheca Gallica*, Franciscus Grudeus à Cruce Cœnomana, *Ibid.* Georgius Draudius, *in Bibliotheca Exotica*, Ioannes Clessius, *Ibid.* Paulus Bolduanus, *in Bibliotheca Historica*, Andreas Duchesnius, *in Bibliotheca Historiographorum Franciæ*, & *in Historia Burgundiæ*; Ioannes Antonius Bumaldus, Canonicus Bononiensis, *in Bibliotheca Bononiensi*, pag. 184. Claudius Robertus, *in Gallia Christiana*, Claudius Iurinus, Assonensis, *in Historia Assonensi*, Hilarion de Coste, Minimus *Tomo I. elogiorum Illustrium Fœminarum in Anna Franciæ*, *in Iconibus Regum Franciæ*; & *in elogiis Delphinorum*. Louanus Gelliot, Diuionensis, *in Indice Armoriali*, Iacobus Seuertius, *in Chronologia Præsulum Franciæ*, Philibertus Marefchal, *in Promptuario Literario Gallico*, Philippus Labbe S. I. *in Synopsi Historica Conciliorum Galliæ*, Iodocus Sincerus, *in Itinerario Galliæ*, Stephanus Bauny, S. I. *in Practica Iuris Canonici*, Ioannes Besly, *in Historia Comitum Pictauiensium*, Franciscus Augustinus ab Ecclesia, Episcopus Salutiensis, *in Historia Chronologica Præsulum Pedemontanorum*, Petrus Palliot, *in Parlamento Burgundiæ*, Philibertus Replongeus, *in Elegia de certissima nominis Burgundionum ratione*, Petrus Tamiserius, Trenorchiensis, *in Carmine in laudem Petri Sanjuliani*, Ludouicus de Thesuta, [a] Cabilonensis, Aduocatus & Iudex Regius, *Ibid.* Ioan. Bapt. Beuuerandus [b] Ca-

a Obijt 1621. b Obijt 1616.

bilonensis *Ibid.* Ludouicus & Scæuola Sanmarthani, Fratres Gemini Historiographi Regij, *in Historia Genealogica Domus Franciæ*, Ioannes Cousin Canonicus Tornacensis, *in Historia Tornacensi*, Paulus Merula, *in Cosmographia*, *in descriptione Burgundiæ*, Petrus Frizon, *in Gallia Purpurata*, Matheus de Goussancourt Parisinus, Celestinus, *in Martyrologio Equitum Melitensium.*

MAXIMILIANVS GVIILLAVDVS
Theologus.

BVrgundus, Cabilonensis, præclarâ ortus progenie, circa annum salutis 1522. Claudio patre Quęstore, qui interfuit Comitiis Generalibus Blesensibus, anno Christi 1576. sub Henrico III. Cùm fuisset in patria humanioribus literis optimè imbutus, Parisios posteà missus statim indolis optimæ specimen & eruditionis futuræ spem ostendit. Annos iuueniles in disciplinis Philosophicis egregiè collocauit, quibus excellenter instructus, maturiorem ætatem in sacrâ Theologia non minus vtiliter posuit, & in vtraque disciplina summam scientiam consecutus est. Tandem labor, industria, iudicium, ingenium eò perduxerunt eruditissimum Guillaudum, vt absolutis studiis Theologicis supremum in Theologia gradum suo iure consequeretur, anno Domini 1561. Ex Doctore igitur Theologo Parisiensi Nauarrico, factus est Caroli Cardinalis Borbonij Archiepiscopi Rotomagensis Præceptor, Maior Archidiaconus Caticensis in diœcesi Rotomagensi, Canonicus & Cantor Castellionensis ad Lupam, atque ibidem Prior S. Genouefæ. Vir vitæ integer scelerisque purus, omnique scientiarum genere nobiliter instructus, & cum primis sui temporis Theologis meritò conferendus. Habuit nepotem virum nostrâ ætate pijssimum, nempè *Philippum Guillaudum*, Canonicum Cabilonensem, peste correptum, anno Christi 1631. die 19. Iulij. Sed ad Maximilianum redeamus & videamus quid scripserit. Nihil sanè quod sciam, scripsit, edi curauit duntaxat

Homilias Quadragesimales Latinas Claudij Guillaudi, Bellijocensis Theologi Parisiensis magni nominis. Parisiis, apud Michaëlem de Roigny, 1568. in 4. & Petrum L'huillier, 1568. in 8. *excusas*, ac Maximiliani *Præfatione* ad Petrum Hennequin, Senatorem Parisiensem *decoratas*.

Ex hac vita migrauit Castellione ad Lupam, circa annum gratiæ 1597. mense Augusti, ætatis suæ 75. Sepultus est in suo Prioratu S. Genouefæ Ordinis S. Augustini, diœcesis Senonensis.

PHILIBERTVS HEGEMONIVS GVIDE
Poëta.

ANtiquâ & præclarâ natus prosapiâ Cabilone in Burgundia, anno salutis M. D X X X V. die Mercurij XXII. Martij, horâ octauâ matutinâ, Philiberto Guideo Procuratore Regio Cabilonensi & Reginâ Rougeot parentibus. Hic à pueritia, parentum solicitudine, humaniores literas accuratè didicit. Ætate iam maturus, Poësim magnoperè dilexit & decorauit. Vir in rebus agendis prudens, in pauperes liberalis, ac vitæ rusticæ amator singularis, qui dùm vixit officio Procuratoris functus est, sed tamen Musarum Cultor assiduus, vt comprobatum habemus, ex iis quæ ad posteros transmisit. Scripsit enim vt Poëta Gallus non iniucundus, opus prænotatum,

Columbaria & Domus Rusticæ, continens duodecim mensium & quatuor anni partium descriptionem. Vnà cum documento, de eo quod singulis mensibus Agricola agere tenetur. Parisiis, apud Robertum le Fizelier, 1583. in 8. *Gallicè.*

Apis Gallica. Ibidem.

Fabulæ Morales & aliæ Poëses. Ibid.

In Psalmos Paraphrasis Gallica MS.

In Cantica Canticorum Paraphrasis altera Gallica MS. *Has Paraphrases*, morte præuentus, in lucem emittere non potuit, quæ posteà magno incendio, perierunt.

Moritur Matiscone è Geneua redeundo, religionis Cal-

uinianæ ergô, anno Christi M. DXCV. die XXIX. Nouembris, horâ XI. serotinâ, ætatis suæ LXI. *Liberos* XVII. habuit, Vnicum tamen superstitem reliquit, nempe Danielem Ciuem Cabilonensem Philippi Medici Patrem, de quo inferiùs agemus.

De *Philiberto Hegemonio Guideo*, Antonius Verderus Dominus Vallisprivatę, *in Bibliotheca Auctorum Gallorum*. Georgius Draudius, *Ibid.* Philibertus Mareschal, *in Promptuario Literario Gallico*, Guilielmus Colletetus, Parisinus, *in Vitis Poëtarum Gallorum.*

PONTVS TYARDÆVS BISSIANVS
Episcopus.

ILlustrissimis parentibus Ioanne patre, matre verò Ioanna de Ganay, in Castello Bissiano, diœcesis Matisconensis, circa annum Christi M.DXXI. natus. Is adolescens humanioribus literis tàm strenuam nauauit operam, vt Latini Græcique sermonis elegantiam exactè didicerit. Deindè iuuenis Philosophiæ Aristotelicæ ac Platonicæ plusquàm vulgarem cognitionem acquisiuit. Denique præter naturalem ad Poësim, Mathesim & diuinam scientiam, nempe Theologiam, propensionem, tantum ex longa consuetudine contraxit habitum, vt matura iam ætate Aulę strepitus, nec bellorum tumultus eum à Musis abstraxerint, aut etiam effecerint, vt aliquid de pristino studendi feruore remitteret. Cùm esset merum Regum Christianissimorum delicium, in aula diù vixit, & *magno fortunæ beneficio* (inquit magnus Scæuola Sanmarthanus) *incidit in tempora Henrici III. cuius à liberalitate Cabilonensem Episcopatum & alia virtutum præmia facilè tulit. Cùmque posteà publicis regni Conuentibus, qui apud Blæsios iterum agebantur, à Burgundia delegatus interfuisset, præstitit se Principi tam benè merito probè gratum & memorem, cùm in illa Præsulum turba, qui plerique omnes Ibericæ factioni tùm fauebant, legitimam Regis auctoritatem acerrimè defendit, vtque erat in sententia dicenda grauis & apprimè facundus, multorum permouit animos, ad effi-*

cúmque reuocauit. Sed ab his turbarum initijs exorta est repente sæuissima tempestas, cuius tædio vir prudens & moderatus abdicauit se Pontificatu, Cyrúmque *fratris filium virtutis merito, non minus quàm ipsa cognatione commendabilem sibi suffecit. Scilicet vt qui tam honestè piéque diu vixerat, mortem quoque tali vita non indignam auito in prædio procul ab hominum improbitate meditaretur.* Hoc æternum Musarum Charitúmque decus, fuit Burgundiæ; imo & Galliæ gloria, eruditionis prodigium, ac Poëtarum Gallorum suâ ætate nulli secundus, etiam in linguis Hebraïcis, Græcis, Latinis, Italicis & Gallicis versatissimus & politissimus. Petro Ronsardo, Philippo Portæo, Iacobo Dauidi Perronio S.R.E. Cardinali Eminentissimo & aliis Musagetis familiaris & charissimus. Longum mihi sanè esset, sigillatim omnes optimos doctissimósve homines enumerare, quos ille complexus amicitia fuerat: satis sit dicere, tot eos fuisse, quot ætas sua extulit. Fuerat ex Protonotario Apostolico, Archidiaconus matris Ecclesiæ Cabilonensis, antequam Episcopatum sit adeptus. *Cùm in Libris* (teste Iacobo Augusto Thuano Præside Amplissimo) *assiduus esset, cibo multo, quippe vasto corpore, vtebatur, & generosa vina, qualia illis locis circa Ararim nascuntur, aqua nulla admista, citra temulentiam bibebat, cúmque dormitum ibat, quod mirum est, largo se meraci haustu sine valetudinis dispendio proluebat.* Interfuit Comitiis generalibus Blesensibus anno M.DLXXXVIII. sub Henrico III. Rege cum Claudio Bellofremontio Regulo Senescęi, Prætore Cabilonensi, Francisco de Thesut, Consiliario in Præfectura Cabilonensi & Salomone Clerguetio. Sed quid nostri maximi Antistitis æternitate digni virtutes omni encomio maiores hîc laudare aggredior? Loquantur pro eo, egregiæ tanti Viri Lucubrationes tàm Gallicæ quàm Latinæ. Scripsit enim diuinus nostèr Vates.

De Erroribus amatoriis Libros III. Lugduni, apud Ioannem de Tournes, 1549. in 8. & Parisiis, apud Galiotum du Pré, 1573. in 4.

Carminum Lyricorum Librum. Parisiis, apud Galiotum du Pré, 1573. in 4.

Operum Poëticorum nouam Collectionem. Ibid. apud eund.

1573. in 4.

Primum Solitarium vel *Prosam Musarum & furoris Poëtici.* Vnà *cum quibusdam Carminibus Lyricis ad calcem.* Lugduni, apud Ioannem de Tournes, 1552. in folio.

Secundum Solitarium &c. Ibid. apud eundem, 1552. in 8.

Discursum de Tempore, Anno & eius partibus. Ibid. apud eundem, 1556. in 8. & Parisiis, in folio

Manticam, siue *Discursum de diuinationis veritate per Astrologiam.* Lugduni, apud eund. 1558. in 4.

Vniuersum vel *Discursus de Mundi partibus & natura.* Ibid. apud eund. 1557. in. 4. Parisiis, apud. Mamertem Patissonium, 1578. in 4 *cum Præfatione* Iacobi Dauidis Perronij postea Cardinalis Eminentissimi & doctissimi.

Ephemerides Octauæ Sphæræ seu *Tabellas Diarias Ortus, Occasus, & meditationis cœli illustrium stellarum inerrantium pro Vniuersa Gallia, & his regionibus, quæ polum Boreum eleuatum habent à 39. ad 50. grad.* Lugduni, apud Ioannem Tornæsium, 1562. in folio Latinè, ad Antonium Santantotium supremæ in Normania Curiæ Præsidem Primarium.

De Cœlestibus Asterismis Poëmatium, ad Petrum Ronsardum. Parisiis, apud Galeotum à Prato, 1573. in 4. Latinè.

De Fratribus Iesuitis eorumque discipulis Consultationem gemellam, Caroli Molinæi & D. Ponti Tyardæi Bissiani Catholici Episcopi Cabilonensis. Rostochij, anno 1605. in 8. Latinè, ad Philippum Robertum I.C. doctissimum Cabilonensem.

De recta nominum impositione Librum, ad Ludouicum Tyardæum nepotem, Dominum de Braniaco. Lugduni, 1603. in 8. apud Iacobun Roussin.

Annotationes in Librum Philonis *Iudæi de Allegoria sacra & transnominatis*, Ibid. apud eund. 1603. in 8.

De Genealogia Hugonis cognomento Capeti Francorum Regis; & postremorum successorum prosapiæ Caroli Magni in Francia Tractatum. Parisiis, ex Officina Mamertis Patissonij, 1594. in 8.

Fragmentum Epistolæ *pij cuiusdã Episcopi nempè P.T.B.E.C.* quo pseudo-Iesuitæ Caroli & eius Congerrorum maledicta depellit. Hanouiæ apud Thomam Vilerianum 1604. in 8.

In

In Euangelia Homilias Gallicas. Parisiis, apud eundem, 1586. in 8.

In Decalogum Homilias. Ibidem, apud Claudium Chappelet, 1588 in 8.

Discursus Philosophicos. Ibidem, apud Abelem Langelier, 1587. in 4. In quibus continentur.

Solitarius primus.

Solitarius secundus.

Mantica.

Curiosus primus.

Curiosus secundus.

Discursus de Tempore & eius partibus.

Duodecim Fabulas fluuiorum vel fontium : Vnà cum Descriptione pro pictura & Epigrammatis. Parisiis, apud Ioannem Richer, 1586. in 12. cum *Præfatione* Stephani Tabourot ad præfatum Tyardæum.

Dialogos Leonis Hebræi de Amore ex Italico in Gallicum transtulit. Lugduni, apud Ioannem de Tournes, 1551. in 8.

Apotelesmatum opus promittebat, vt colligo ex suis Ephemeridibus.

Migrauit placidè ad Dominum in suo Castello Bragneio in diœcesi Cabilonensi, anno Christi M. DCV. IX. Cal. Oct. ætatis suæ LXXXIV. Episcopatus XXVII. eo ferè tempore, quo ingens illa contigit Solis defectio, quam (ait Sanmarthanus) ego Musis fuisse fatalem verè videor posse dicere, quòd multi celebres earum alumni, tùm in Gallia, tùm apud exteros ea tempestate perierint. Ibidem sepulturam accepit absque tumulo & inscriptione, è parte chori sinistra. Tamen eius Cenotaphium metricè ab ipso compositum, legitur in Choro Ecclesiæ Cathedralis San-Vincentianæ Cabilonensis, propè sedem Episcopalem.

D. O. M.

Non teneor longæ dulcisque cupidine vitæ,
Sat vixit, cui non vita pudenda fuit.
Nec famæ illustris me tangit gloria, forsan
Per genium viuent sat mea scripta suum.
Nilque moror, quo sint mea membra tegenda sepulchro:
Hæc propria hæredis sit pia cura mei.
Sed cupio, vt tandem, mens Christo innixa, leuetur
Peccati duro pondere, ad astra vehar.

Pontus. Tyardæus. Bissianus. Ep. Cabil.
Extremum. Hoc. Voueb. Scribebat.

Qui verò stemmate, doctr. dignit. virtute clarus Deo & Regib. charus propè decem, expletis Enneadib. Thesbitem sequutus CYRO TYARDÆO thiaram, sedem & onus reliquit feliciter, cuius funeri non debuit gratum psephisma, cui ille pietatis & officij sui non ascia politum, hoc, P. C.

Mnima vide Lector, licet Cenotaphium hic sit non Capulum, nó Ossuarium, quàm benè plusquam voti compos, tu saltem virúmque pijs precibus adiuua, qui lampada tradidit, functus est, qui accepit in cursu est.

BRAGNEI *Obijt 9. Cal. Oct. ann. æt. 84. salutis 1605.*

Stephanus Paſchaſius, Pariſinus, Vir variæ eruditionis, TYARDÆO amicus, in eius obitum, ſequens luſit Epitaphium.

Mellito iuuenis verſu qui luſit amores,
Inde Mathematicis artibus emicuit.
Idem etiam ſanctis excelluit ordine libris,
Hoſpes nil mirum eſt, omnia Pontus erat.

De *Ponti de Tyard* laudibus & Scriptis, Scæuola Sanmarthanus, *in eius elogio*, Iacobus Auguſtus Thuanus, *in Hiſtoria ſui temporis*, Ioannes Petrus Lotichius, *in Bibliotheca Poëtica*, Guilielmus Rouillius, Typographus Lugdunenſis, *in Promptuario Iconum*, Stephanus Paſchaſius, *in Diſquiſitionibus Franciæ*, Guilielmus Colletetus Pariſinus, *in Ponti Tyardæi Poëtæ Galli Vita*. Petrus Sanjulianus Balleurreus, *in Miſcellaneis Hiſtoricis*; & *in Antiquitatibus Cabilonenſibus*; Claudius Robertus, *in Gallia Chriſtiana*, Iacobus Seuertius, *in Chronologia Præſulum Galliæ*; Chenu, *Ibid.* Nicolaus Sanmarthanus, *in Hiſtoria Eccleſiaſtica Cabilonenſi*, Claudius Duretus, Præſes Molinenſis, *in Theſauro Hiſtoriæ Linguarum*, Petrus Ronſardus, Poëtarum Gallorum Princeps, *in Operibus Poëticis*, Clodoueus Heſtæus, *Ibid.* Iacobus Dauid Perronius, Cardinalis, *in Præfatione ſuprà relata*, Antonius du Verdier, *in Bibliotheca Gallica*, Franciſcus Grudé de la Croix-du-Maine, *Ibid.* Georgius Draudius, *in Biblotheca Exotica*, Ioannes Cleſſius, *Ibid.* Andreas Ducheſnius Turonenſis, Geographus Regius, *in Bibliotheca Hiſtoriographorum Franciæ*, Philibertus Mareſchal, *in Promptuario Literario Gallico*, Iacobus Gualterus S. I. *in Tabula Chronographica*, Petrus à Sancto Romualdo, Fullienſis, *Tomo 3. Theſauri Chronologici & Hiſtorici* anno 1605. Florimondus Ræmundus, Senator Burdegalenſis, *de Ortu & Progreſſu hæreſeos*; & *libro de Antichriſto*. Fabianus Iuſtinianus, Epiſcopus Adiacenſis in Corſica, *in Indice Vniuerſali*. Guilielmus Altarius, *in Carmine ad Pontum Tyardæum*, Franciſcus Amboſius Pariſinus, *Ibid.* Sa-

lomon Clerguetus, Cabilonensis, *Ibid.* Ioannes Baptista Lantinus, Cabilonensis, Senator Diuionensis, *Ibid.* Gabriel Naudæus, Parisinus, Bibliothecæ Mazarinæ Præfectus, *in Apologia pro viris illustribus incantationum & magiæ falsò postulatis*, & *in Dialogo*, Tractatus noster *de Præstantissimis totius Orbis Bibliothecis* pag. 629. Iacobus Guijonius, Augustodunensis, *in eius Tumulo* MS. in Bibliotheca Philiberti de la Mare, Senatoris Diuionensis, *asseruato*, Iacobus Helias Marchianus ei dedicat *Librum Æneidos*, Ioannes Auratus, Poëta Regius, *in Carm. ad Tyardæum*, Antonius Le Roy, Cenomanensis, Presbyter Meudonianus, *in Meudonio sub Rabelæso pro Præfatione.* Iacobus Auzolius Peyrius, *in Sancta Chronologia*, Stephanus Tabourot, *loco relato*, Petrus Morestellus, Trenorchianus, *in Philomuso*, Tomus tertius *illustrium Poëtarum Gallorum*, Ioannes Durellus, Ordinis Minimorum Theologus, *in Onomatologia Chirurgica*, Ægidius Menagius, Andecauensis, in *eruditissimis Originibus linguæ Gallicæ*, Ioannes Richardus, Diuionensis, *libro de Diuionensium Antiquitatibus.* Samuel Guichenon, Matisconensis, *part. 2. Historiæ Sebusianorum*, V. Vassalieu, & *part.* 3 *pag.* 197. Claudius Turrinus Diuionensis, *in Operibus Poëticis.* Ludouicus & Scæuola Sammarthani, *lib.* x I. *Historiæ Genealogiæ domus Franciæ cap.* I.

STEPHANVS BERNARD *Prætor.*

Diuionensis, ex clara ortus prosapia, anno Christi 1553. die 5. Martij, Stephano patre Secretario Regio & fortificationum prouinciæ Burgundiæ Thesaurario, matre verò Anna Benigne. Multæ sanè & exquisitæ tum animi tum corporis dotes Stephanum Bernardum virumque vndequaque celeberrimum toto Franciæ regno commendarunt. Siquidem inerant in eo, dùm adhuc adolescens erat, magna mentis indoles, egregia corporis constitutio, species oris atque maiestas præclara, admirabile ingenium, optimarum literarum singularis cognitio, iudicium

olidum, eloquentia rara, summa prudentia, in omnibus denique rebus ingens animi moderatio, cum eximia affabilitate coniuncta. Studiis tùm Philosophicis cùm Iuridicis Tolosæ tandem peractis, in patriam reuertitur, vbi functus est officio Aduocati, omnium applausu & admiratione. Postea noster Bernardus vxorem duxit clarissimam fœminam Margaritam Paradinam Ioannis Archiatri Regii, gnatam vnicam, è qua suscepit filias quasdam, filiosque duos Ioannem scilicet Prætorem Cabilonensem de quò inferiùs & Claudium cognomento pauperem Sacerdotem, virum toto orbe vitæ sanctimonia celebrem. *Denique meritorum* intuitu factus est Orator in Comitiis Blesensibus anno MDLXXXVIII. habitis, vt indicat sequens Distichon numerale à Ioanne Bernardo suo filio concinnatum.

regIa BernarDVs faCVnDa oraCVLa LIngVæ
& tVIta LaVrVs pLebe CLIente refert;

Postea Maior Diuionēsis MDXCII. ac Senator Parlamēti, sigillorumque regiorum custos, nec-non Præses Massiliæ, postremò & vltimo Prætor Cabilonensis, demissione summi Viri Petri Ianini Ædui, Comitis Consistorialis, primarij præsidis Senatus Burgundiæ, ac Regis Administri, anno 1597. die 2. Iunii· secundis autem nuptiis Cabilone contractis cum nobili matrona Iudithâ Quenot, cum qua vsque ad extremum vitæ vixit, tamen absque vlla prole. Vir sanè maximus, integritate vitæ conspicuus, religionis Catholicæ insignis Cultor, B. V. Mariæ alumnus, necnon præclarum Musarum Iubar, Orator quidem suo æuo nulli comparandus, Henrico III. Francorum & Polonorum Regi Christianissimo, Carolo Lothareno Meduanio Burgundiæ Proregi, aliisque magnatibus ob diuinam planè eloquentiam & rerum agendarum experientiam, multùm charus & familiaris. Sed iam huius ingenij magni, multiplicisq; doctrinæ monimenta literaria quæ posteris reliquit, subnectamus. Edidit enim Gallicè.

Orationem habitam Blesis anno 1588. nomine tertij Ordinis ad Henricum III. Regem. Prodijt Parisiis, 1589. in 4. & 1636. in 4.

De Ciuitatis Massiliensis redactione Discursum. Parisiis, 1596. in 4.

Congressum in pago Surenæ habitum è Latino Honorati du Laurent Archiepiscopi Ebredunensis in Gallicum vertit.

Monitum ad nobilitatem Burgundiæ de Statuum Blesensium resolutione anno 1588. Nostro Bernardo tribuitur à Collectore librorum tumultuum Franciæ vltimorum *lib.* 5. vbi legitur *Anonymi Responsio.*

Axiomata status secundùm mentem VII. Sapientum Græcorum MSS.

Acta Comitiorum Blesensium MSS. in Musæo Ioannis Bernardi.

Acta Surenica multùm aucta MSS. Ibid. Quibus interfuerat 1593.

Discursum verum de ijs quæ Blesis acta sunt. Prodijt in 8. nomine suppresso.

Orationem Memorare piissima Virgo &c. è Latino in Gallicum vertit.

Hieronymum Platum S. I. de bono status religiosi è Latino etiam in Gallicum vertit, sed morte præuentus absoluere non potuit.

Obdormiuit in Domino, Cabilone, morte repentinâ, sed non improuisâ anno Christi M. DCIX. die Lunæ XXIII. Martij, ætatis suæ LVI. Cùm die Dominica præcedenti sacram confessionem apud S. Francisci de Paula Sodales, communionemque apud Capucinos summa cum pietate & deuotione egerat. Ibidemque sepultus in Ecclesia Minimorum, ad Chori introitum, cum sequenti Epitaphio, in tabula marmorea sub eius effigie ad viuum efficta, apposito, Claudio Crochard Minimorum Theologo erudito atque facundo in eius funere, orante, cum luctu maximo ciuitatis.

D. O. M.

Steph. Bern. Diuion. pietate præcipuus, Beatissimæ Virgini matri deuotissimus, Eloquentiam primus, animi corporisque dotibus ornatissimus, honoribus clarissimus, in publicis Galliarum Comitiis tertij Ordinis Orator. Ciuitatis suæ Maior, Senator, Regijque sigilli custos, Massiliæ

Præses, & oppressa Tyrannide strenuus restitutor, Cabilonensis Prouinciæ Prætor, multa consequutus, plura meritus, dum ad altiora in terris prouehitur; cœlo dignior visus, celebrato tribus Dominicis diebus Ecclesiæ Iubilæo, postera die subita, non improuisa morte raptus est, X. Id. Mart. Anno M. DCIX. ætatis LVI. relictis è Margar. Paradina coniuge dilectissima è XIII. Lib. V. superstitibus.

I. B. in Cab. Præfectu. successor & cæteri Lib. patri Suauiss. ac Opt. H.M.P.P.

Sequens Distichon numerale Chronologicon legitur supra tumbam, annum obitus denotans.

Vere noVo oCCVbVIt qVo natVs SCILICet ILLI
LeX neCIs Vt LVCIs neC SIne noCte DIes.

De *Stephano Bernardo*, honorifica perhibent testimonia Claudius Chrochard, *in eius Oratione Funebri*, P. Hilarion Costeus, Ordinis Minimorum Theologus S. Francisci de Paula Pronepos, *in Vita*, quę habetur *lib. 4. Historiæ Catholicæ*, Iacobus Augustus Thuanus, *in Historia sui Temporis*; Henricus Catharinus Dauila, *de Bello Ciuili Gallico*, Antonius Ruffius, Senator Massiliensis, *in Historia Massiliensi*, Franciscus Lanouius, *in Chronico Minimorum*, Claudius Robertus, *in Catalogo Episcoporum Cabilonensium*, Nicolaus Sanmarthanus, *in Historia Ecclesiastica Cabilonensi*, *MS.* Petrus Mathieu, Historiographus Regius, *in Historia Tumultuum Galliæ*, Ioannes Petrus Camus, Episcopus Bellicensis, *in Vita Claudij Bernardi*, Petrus Palliot Typographus Regius Dionensis, *in Parlamento Burgundiæ*, Scipio Dupleix, *in Henrico IV.* Ianus de Serres, *in Henrico III. & Henrico IV.* Franciscus Gerson, *in Vita Claudij Bernardi*, Petrus à Sancto Romualdo *anno 1589.* Th. Agrippa Albinius, *in Historia.* Cæsar Nostradamus, *in Historia Prouinciæ.*

NICOLAVS DE PONTOVX Latinè PONTOSIVS.

Cabilonensis, Burgundus, Doctor Medicus, Claudii, Pontosii Aduocati Frater. Natus Cabilone in Heduis, anno Domini MDLXXIV. Claudio Pontosio, Domino de Grangia & Barano, & N. Vallonia nobilibus parentibus. Ab ipsa ineunte ætate, non obscura dedit futuræ pietatis & eruditionis indicia. Adolescens sub optimis præceptoribus in gymnasio Cabilonensi humaniores sciẽtias ac Philosophicas didicit. Postea Montempesulanam Academiam petiit, vbi Doctor Medicus est renunciatus. Tandem in patriam reuersus, cœlebs vsque ad vitæ extremum permansit. Xenodochio Cabilonensi & ciuitatis pauperibus magna cum charitate inseruiens. Vir sanè integer scelerisque purus, pauperum pater, æternum suorum conciuium exemplar. Præter ingentem illam cognitionem, quam de Æsculapii scientia habebat, aliquandiu animum adhibuit arti Poëticæ, quam valdè excoluit & dilexit, vt constat ex opere Poëtico, quod in lucem emisit, nomine tamen suppresso, cui titulus est Gallico sermone, vt habeo *ex relatione* Cl. Viri Claudii Pontosii fratris.

LE GENTILHOMME CHALONNOIS *hoc est* NOBILIS CABILONENSIS.

Ex hac vita terrena migrauit ad cælestem Cabilone, anno Incarnationis Dominicæ MDCXX. die IX. Septembris, ætatis suæ XLVI. Sepultus est in Nosocomio San-Laurentiano, vbi legitur sequens inscriptio Gallica in æs incisa & parieti affixa.

Noble Nicolas de Pontoux, Docteur en Medecine, Bienfacteur de ceans, ayant l'ame religieuse, seroit neanmoins par

le

le conseil des Religieux, demeuré en celibat & en chasteté dans le monde, pour seruir les pauures & de ses biens & de sa profession, iusques en l'aage de XLVI. ans. Il estoit fils de feu Claude de Pontoux, Seigneur de Granges & de Barain, & petit-fils de Jean de Pontoux, Seigneur dudit Granges: lequel Jean a fondé en cet Hospital la Passion qui s'y dit chacun an, cinq mois, dés le premier de May iusques à la fin de Septembre pour prier Dieu pour les fruicts de la Terre, & ledit Jean estoit fils de Iean de Pontoux, Bourgeois de Chalon, qui a fait plusieurs dons à la Chappelle des Vingtquatres, dans Sainct Vincent, & petit-fils de Girard de Pontoux & de Damoiselle Guillemette de Betune, lequel Girard a fondé il y a prés de six-vingts ans, dans Sainct Vincent de Chalon cent cinquante Messes chacun an à l'Autel Sainct Martin, auec vn De profundis *sur le Charnier desdits de Pontoux voisin dudit Autel, & le dit Girard fils de Iean de Pontoux & de Damoiselle Françoise de Monconys qui vindrent habiter à Chalon l'an M.CCCCVII. Or ledit Sieur Nicolas de Pontoux, Docteur en Medecine, imitant la pieté de sesdits Majeurs, outre vne vingtaine d'autres legats pieux particuliers, a donné à cet Hospital de Chalon seize cents liures de constitution pour faire cent liures de rente chacun an emploiables en cinquante de gage chacun an, au Medecin de l'Hospital, & dix francs pour achapt de bons Liures de Medecine chacun an, & le reste de ladite rente en drogues; a donné encore audit Hospital* sa Bibliotheque de Medecine *& ses Alambics, essences & quintessences, & toutes drogues qu'il auoit à son deceds, requerant pour tout vn* De profundis *chacun an sur sa tombe à l'issuë de la grande Messe qui sera dite à l'Hospital chacun iour de feste de S. Luc, & laissant à quatre siens freres le reste de ses*

biens anciens, il deceda le 9. Septembre M.DCXX. aagé de XLVI. seulement, non par exces de volupté; mais par exces de charité : car trauaillant outre ses forces pour les paures & malades, on le voioit seicher à l'œil, & luy-mesme se sentoit mourant de ce trauail, le cognoissoit & y consentoit; si bien que l'on peut dire de luy, qu'en mourant volontairement, il a donné la vie à mille personnes. Il estoit aymé de tous, & specialement des Pauures & des Religieux de la Prouince, qui ont dit pour le salut de son ame plus de mille Messes. Ses charités estoient secrettes, ne voulant en estre salarié qu'au ciel, & ce conuenablement à l'Anagramme de son nom.

NICOLAVS DE PONTOVS. In Polo dona Secutus. *Autre.*

En viuo polos nactus.

Viuo polos nactus iacet, etsi corpus ademptum
Morte; sed hæc (fateor) mors mihi vita fuit.

1620.

CLAVDIVS LANGVETVS *Aduocatus.*

CAbilonensis, præclaris natus parentibus Ioanne Patre; matre verò Ioannâ de Loisy, Huberti Langueti, Vitellij Viri totâ Europâ celeberrimi affinis; Vir prosapiâ, prudentiâ, morum suauitate, variarum scientiarum cognitione, ac religionis Catholicæ zelo celebris. Aliquot annis in Iurisprudentia feliciter collocatis vtriusque Iuris Licentiatus creatus est; deindè in patriam reuersus Aduocati munere, magna integritate, functus est. Tandem religionis amore succensus Romam inuisit cum Francisca Langueta Cabilonensi, Roberti Pontosij Vidua ob vitæ sanctimoniam celebranda eius Sorore charissima. Cùm esset in sacrarum

Scripturarum & SS. Patrum lectione versatus, Scripsit vulgari sermone, literis capitalibus solùmodo appositis C. L. C.

De rebus controuersis aduersus Theophilum Cassegranium, Stampensem, Ministrum Caluinistarum Cabilonensium. *Prodijt* in 8.

Carmina Latina in Bernardum Durand.

Moritur Cabilone anno Domini M. DCXX. die Dominica VI. Septembris, horâ nonâ serotinâ. Sepelitur in Ecclesia Patrum Minimorum.

IOANNES BRVNEAV

CAbilonensis, Musicus insignis, & non spernendæ eruditionis. Edidit ad Clarissimum Virum Ioannem Bernardum Prætorem Cabilonensem.

Libros Musicales, Lugduni impressos.

Obijt in Pago de Crissey, primo à Cabilone lapide, anno Verbi Incarnati M. DCXXI. die vltima Maij: Ibidémque sepultus in Ecclesia Parrochiali, vt me monuit *Petrus Iacob* charissimus meus ex Patre frater olim Brunelli in humanioribus literis discipulus.

TVSSANVS SYBILLE *Aduocatus*.

NOn Thomas vt nonnulli putarunt, natione Burgundus patriâ Cabilonensis, Aduocatus Parlamenti Parisiensis, Vxorem duxit Ioannam Iornot, fœminam antiquæ apud Cabilonenses familiæ, è qua nullos reliquit liberos. Vir probus sanè & eruditus, qui optimis institutus disciplinis, alta naturæ dona diligenter non solùm artibus liberalibus, sed & rebus philosophicis, politicis, moralibus & Iuris scientia mirè excoluit. Scripsit Sybilleus noster maternâ linguâ

De Contemptu Mundi Tractatum. Parisiis, apud Leonem Cauellat, 1579. in 16.

De Pace Tractatum. Quem olim vidi in 16.

Alia eius *opera* me latent, licet nostro Sybilleo varia tribuat Antonius Verderius, *in Bibliotheca Gallica*, quæ Thomæ Sybilleo Parisino restituenda sunt.

Tandem animam efflauit Cabilone plenus dierum anno à partu Virgineo M. D XVIII. Sepultus est in Ecclesia Cathedrali Sancti Vincentij Martyris.

De *Tussani Sybillei* scriptis, præter Antonium Verderium, legendi sunt, Georgius Draudius, *in Bibliotheca Exotica*, Ioãnes Clessius, *Ibid.* Philibertus Mareschalus, *in Promptuario Gallico omnium Librorũ.* Paris. apud Franciscũ Iaquin 1598. in 8. *edito.* Iobus Bouuot, *Tomo I. Quæstionum Notabilium Iuris.*

BERNARDVS DVRAND *Aduocatus*

Cabilonensis, Burgundus, honestis ortus parentibus. Is ab ineunte ætate bonarum literarum cupidissimus, in studiis laboriosus & assiduus, quibus modis & mediis ad magnam tandem peruenit eruditionem. Studiis peractis in Gymnasio Claromontano in Aruernia humaniores Literas aliquandiù professus est, vbi singularem amicitiam cum Ioãne Sauarone Præside integerrimo & eruditissimo habuit. Tandem in patriam reuersus Aduocati munere, magnâ cum laude, functus est. Virtutis & eruditionis merita insignem DVRANDO gratiam & auctoritatem apud nobiles suos Conciues conciliarunt & ad dignitatem Maioris Ciuitatis extulerunt. Vir sanè de Literis optimè meritus; Scripsit enim & edidit Gallico Idiomate,

Priuilegia Maioribus, Scabinis & Ciuibus Vrbis & Ciuitatis Cabilonensis ad Ararim concessa ab antiquis Franciæ Regibus ac Burgundiæ Ducibus, confirmata ab eorum Successoribus & in supremis Curijs rata. Cabilone, apud Ioannem à Pratis. 1604. in 4.

Actionem Forensem pro Ciuitate Cabilonensi aduersus vrbem Sancti Ioannis de Lodona. in 4.

Annua Diaria quædam vulgo *Almanach.* Quæ adhuc extant in Musæis variorum Virorum Literatorum, vt ab ipsis didici.

De Feudis Libros. Qui asseruantur MSS. apud Hæredes.

Extat præfatio Gallica Durandi nostri in *Librum* doctissimi Ioannis Sauaronis, Præsidis Claromontani, de Originibus Ciuitatis Claromontanæ Aruernorum primariæ.

Apoplexiâ correptus, extinctus est Cabilone anno Dominicæ Incarnationis M. DCXXI. die XVIII. Ianuarij: tumulatúsque est apud Patres Carmelitas, in Sacello Diui Marcelli Martyris Lugdunensis, Cabilonensium Apostoli. In eius Obitum Carmina Latina sepulchralia luserunt Petrus Dhoges & N. Marion, Sacerdos, Cabilonenses, quę in præfato Sacello apposita fuerant, & in tabulis appensa; sed nescio nunc, quo fato, ablata sunt.

In *Clarissimi Conciuis nostri* laudem *Carmina alia Latina* scripserunt Ioannes Baptista Lantinus, Cabilonensis, nunc Senator Dinionensis, Claudius Languetus, Cabilonensis, & C. B. D. T. C. *quæ* leguntur ante *Priuilegia Ciuitatis Cabilonensis.* De Bernardo Durando testimonium perhibent Claudius Robertus, maior Vicarius Cabilonensis, *in Gallia Christiana*, & Nicolaus Sanmarthanus, *in Historia Ecclesiastica Cabilonensi MS.*

IOSIAS MACHVREAVT *Chirurgus*

CAbilonensis, natus circa annum Christi M. DLXI. die VIII. Maij, ingenio ad bonas literas capessendas factus est ab ineunte ætate. Annum agens decimum septimum artis Chirurgicæ studiis se totum addixit. Tyrocinio tandem peracto Gallias peragrauit & Arelatensem Ciuitatem Prouinciæ primariam profectus, Chirurgorum Præfectus, seu (vt vocant) Abbas renunciatus, Theses Chirurgicas publicè, omnium applausu, tueri conatus est. Deindè missus Parisios Andream Laurentium Archiatrum Regium ac Anatomes Professorem publicum præstantissimum, magno cum fructu, audiuit. Postremò Magisterij titulo cohonestatus est, & in patria Magistrorum Chirurgicorum Præpositus. Cùm esset artis suæ expertissimus tùm apud Conciues, tùm apud exte-

ros, magnam sibi famam acquisiuit; sed proh dolor! religionis Caluinianæ Sectator. Scripsit sermone natiuo

De Amicitia Tractatum. Geneuæ, Typis Iacobi & Petri Chouet. 1611. in 12.

De Virtutibus & Vitiis Tractatum alterum hactenùs ineditum. Asseruatur MS. Cabilone apud Hęredes.

Carmina Gallica in laudem Iobi Bouuoti Cabilonensis Aduocati. Leguntur ante *Opera Iuridica* præfati Bouuoti.

Moritur Cabilone, anno redemptionis humanæ M.DCXXII. die IV. Maij, ætatis suæ LXI.

De *Iosia Machurello* Iobus Bouuotus, Cabilonensis Aduocatus, *Tomo primo Quæstionum notabilium Iuris.*

CYRVS DE TYARD *Episcopus*.

CLaudij & Guilielmetæ de Montgommery Filius, Ponti Nepos, ex Maiore Archidiacono Ecclesiæ Cathedralis Cabilonensis Episcopus per patrui cessionem constitutus, cùm anteà fuisset Baccalaureus Nauarricus Parisiẽsis Theologus, anno Christi M.DXCV. factus, Senator etiam honorarius Senatus Diuionensis, ac Comes Consistorialis, Regni Regísque amantissimus, suæ verò Ecclesiæ vnicæ sponsæ deuinctissimus, Vir summæ prudentiæ parisque consilii & auctoritatis, singularis denique virtutis & reconditæ eruditionis, Cabilonensium deliciæ & integerrimus gregis sui Pastor. Interfuit Comitiis Generalibus Parisiensibus, anno 1614. cum Hẽrico Bellofremontio Senecæo, Guilielmo Prisco, Seruilleo rerum Criminalium Præfecto & Abrahamo Perrault, Consiliario in Præfectura Cabilonensi & Ciuitatis Maiore. Edidit Latinè

Pastorale ad vsum diœcesis Cabilonensis accommodatum. Cabilone, apud Ioannem à Pratis 1603. in 4.

Instructionem ad Parochos & Vicarios ad pronum faciendum. Cabilone, apud Ioannem à Pratis 1605. in 4. Gallicè.

Officia propria Sanctorum Diœcesis Cabilonensis edi curauit, quibus præfixit *Epistolam Pastoralem Latinam* Clero Cabilo-

nensi *directam*. Lugduni, in 8.

Tandem optimus noster Antistes dierum & bonorum plenus Cabilone, in Palatio Episcopali, quod à fundamentis construxerat, viuendi finem fecit, tota Ciuitate lachrymante, anno post Christi natiuitatem M. DCXXIV. die II. Ianuarij. Sepultusque est in Choro Ecclesiæ Cathedralis, cum sequenti Epitaphio marmoreo literis aureis inscripto sub eius effigie marmoreâ.

SVMMVM NEC METVAS DIEM, NEC OPTES.

Sed siste & luge. Iacet hîc Vir colendæ memoriæ, cui nomen fuit, CYRVS *à Lauacro*, TYARDÆVS *à gentilitate, Cabilonensis Episcopus à meritis, quem pietas incredibilis, morum integritas, doctrina singularis ab obliuione vindicabunt. Non erit illi mediocris auctoritatis recordatio patrui Ponti, post homines natos Præsulis doctiss. in cuius sedem maximo omnium plausu successit, fœliciterque respondit expectationi moderationis, & æquitatem quam de se Archidiaconus toti Clero concitarat, præsidendo Comitijs prouincialibus sæpe-numero Diuione habitis & Generalibus Rothomagi, anno M.DCXV. Quid plura non vacat huc adducere illos veteres TYARDÆOS cunctis ferè equestribus Burgundiæ familiis affinitatis vinculo coniunctos, fide, studio, charitate, in Deum, Regem, patriam ardentissimo, cùm satis id testetur vel solus HELIODORVS CYRI Frater quem ab officio in Reges Henricum Tertium & Henricum Magnum, nulla vis tempestatis abripuit, cuius HELIODORI Optimi parentis charissima pignora exemplum æmulantia Ludouici verè Iusti auspicia signáque venerantur sequuntur, ex*

quibus singulis multa cura ac solicitudine mortalitatis & immortalitatis assiduò memor viaticum tibi Viator parabis.

OBIIT III. NON. IANVAR. M.DCXXIV.

PONTVS TYARD. BISSIAN. EQVES,
PATRVO. CHARISS. M.H.M.P.C.

De *Cyro Tyardæo*, Eminentissimus S. R. E. Cardinalis Franciscus de la Rochefoucaud, *Libro de Auctoritate Ecclesiæ*, Magnus Iacobus Augustus Thuanus, *in Historia sui Temporis*, Stephanus Pasquier, *in Disquisitionibus Gallicis*. Scæuola Sanmarthanus, *in elogio Ponti Tyardæi*, Claudius Robertus, *in Gallia Christiana*, Iacobus Seuertius, *in Chronologia Præsulum Galliæ*, Ioannes Chenu, Bituricensis, *Ibid.* Nicolaus Sanmarthanus, Parisinus, *in Historia Ecclesiastica Cabilonensi*. Petrus Morestellus, Tren[illegible]chianus, & Guilielmus Bernardon, Decanus Cabilonensis nostro Tyardæo *Libros* dedicauerunt, Iobus Bouuotus, *in Placitis Burgundicis*. P. Petrus Guillebaud à Sancto Romualdo Engolismensis, Fuliensis, Theologus & Historicus præclarus, *Tomo tertio Thesauri Chronologici & Historici, anno* M.DCXXIII. R.P. Franciscus Lanouius, *in Chronico Generali Minimorum, anno 1596*. Samuël Guichenon *in eruditissima Historia Sebusianorum* v. Vassalieu.

OCTAVIANVS IACOB, *Ord. Minimorum*

AVctoris ex patre frater amantissimus, Cabilonensis, honestis natus parentibus Ioanne patre & Ioannâ Deslile matre. Is à teneris annis in patria literas humaniores accuratè didicit, deindè Lugdunũ profectus Rhetoricæ ac Philosophiæ, in Patrum Societatis Iesu Collegio, magno cum fructu, nauauit operam; ad Mathematicas etiam animum applicuit. Tandem in patriam reuersus cursum Theologicum, anno

no

no Domini M.DCXXIII. ſub R.P. Ioanne Aiſeman, Lugdunenſi, Ordinis Minimorum aliàs Prouinciali, ſacræ Theologiæ profeſſore ac Concionatore eruditiſſimo inchoauit, ſed vitæ religioſæ amator, Tornodori inſtitutum Ordinis Minimorum S. Franciſci de Paula, anno M.DCXXIV. feruenter amplexus eſt, in quo nomen *Octauiani* pro Franciſci reliquit. Anno nouitiatus peracto, profeſſionem emiſit, anno ſequenti, nempè MDCXXV. die XIV. Ianuarij, in conuentu Guicheo, apud Carolenſes, diœceſis Matiſconenſis, vbi diem clauſit extremum, eodem anno. Vir ingenij & eruditionis laude non incelebris. Scripſit

Poëma Latinum pium, quod prælo deſtinauerat, vt ſæpius ab ipſo chariſſimo fratre didici, ante ſuum religionis ingreſſum; debet extare MS. in Conuentu Guicheo.

Animam Deo reddidit, anno Domini M.DCXXV. circa ætatis ſuæ XX. ex callo genu adducto.

GVILIELMVS BERNARDON *Decanus*,

NAtione Burgundus, patriâ Cabilonenſis, præclaris ortus parentibus, Stephano Bernardon Domino à Sancto Micaldo patre, matre verò Guilelmetâ Bourgeois: Vtriúſque Iuris Doctor, ex Aduocato Canonicus, Maior Archidiaconus ac Decanus inſignis Eccleſiæ Cathedralis S. Vincentij Cabilonenſis, poſt obitum Roberti Perrault, anno ſalutis M.DC. vnanimi Capituli conſenſu electus; demùm Officialis & Maior Vicarius trium Illuſtriſſimorum Antiſtitum. Vir vitæ ſanctimoniâ & diuinæ gloriæ zelo clarus, pauperum Pater, Protector & Defenſor orphanorum & viduarum, Cleri Cabilonenſis, imò totius Galliæ ſpeculum, Eccleſiaſticorum regula & norma, eruditione & facundiâ celebris, Deo & hominibus charus, *Philippo Guillaudo* Cabilonenſi, Canonico, Viro piiſſimo & immortali memoriâ digno familiaris & gratiſſimus. Hic religioſiſſimus & peritiſſimus Vir cùm eſſet in Iure Canonico & ſacris ſtudiis ſemper intentus, ſcripſit Gallico ſermone ad Cyrum Tyardæum Cabilonen-

ſium Præſulem digniſſimum.

De Indifferentia in Eccleſiaſticorum debitum & de Reſidentia ob eorum officia ab ipſis debita. Lugduni, apud Antonium Pillehotte, 1622. in 12. & Pariſiis, apud Ioannem de Heuqueuille, 1625. in 8.

De Curatorum concurſu & reſidentiâ Tractatum Iacobo Neuchezio Cabilonenſium Epiſcopo dicatum. Pariſiis, apud Ioannem de Heuqueuille 1625. in 8.

Integerrimam efflauit animam, Cabilone, anno Verbi Incarnati M.DCXXIIX. die XXV. Auguſti, totâ Ciuitate lugente, ac perorante R. P. *Cyrillo Brunet*, Belnenſi, Ordinis Capucinorum Theologo atque Concionatore eximio, in eius funere. Tumulatus eſt in Baſilica Cathedrali San-Vincentiana, cum ſequenti inſcriptione Gallica, parentibus & ſibi communi.

CY. GISENT. D.G. BOVRGEOIS. FEMME. DE. M. ESTIENNE. BERNARDON. Sr. DE. S. MICAVLT. DECEDE'E. MDLXXIII. D. MARTIALE. BERNARDON. &. M.H. GALOCHE. BOVRGEOIS. DE. CHALON. Sr. DES-BARRES. DECEDE'. MDLXXXI. &. VEN. GVILLAVME. BERNARDON. DOIEN. DE. CETTE. EGLISE. DECEDE'. LE. XXV. AOVST. M. D.C. XXVIII.

De *Guilielmo Bernardono*, Claudius Robertus, maior Archidiaconus Cabilonenſis, *in Gallia Chriſtiana*, R. P. Petrus Guillebaud à S. Romualdo, Fulienſium Hiſtoriographus, *Tomo tertio Theſauri Chronologici & Hiſtorici, anno* M.DCXXIII. & MDCXXIV. Nicolaus Sanmarthanus, Pariſinus, *in Hiſtoria Eccleſiaſtica Cabilonenſi* MS. Ioannes Morellus, Cabilonenſis,

Doctor Medicus, *in carmine Latino in laudem Guilielmi Bernardoni*, Marcus Antonius Barbier, ex Rhetorices Professore Cabilonensi Pastor Virdunensis, nunc Canonicus Æduensis, *Ibid.* Agnus Benignus Sanrey, Lingonensis, ex literarum humaniorum Professore Cabilonensi Theologalis Ecclesiæ B. V. Mariæ Belnensis, *Ibid.* Catalogus Bibliothecæ Cordesianæ, pag. 90. Iobus Bouuotus, *in Quæstionibus Notabilibus Iuris.*

SALOMON CLERGVET.

CAbilonensis, Aduocatus & Episcopali audientiâ sæculari apud Cabilonenses Præfectus. Vir prudentiâ, animi candore ac ingenij eruditionísque laude percelebris, Poëta Latinus elegans, vt testantur eius varia Carmina. Scripsit enim ad magnum Pontum Tyardæum Cabilonensium Antistitem,

Carmina Latina. Quæ legi ad finem eruditi Operis Tyardæi, *de recta nominum impositione.*

Epistolam Latinam ad eundem. Extat Ibid.

Carmina ad Iobum Bouuotum Cabilonensem Iurisconsultum. Habentur Tomo I. *Nouæ Collectionis Placitorum Burgundiæ.*

Carmina alia quamplurima cecinit noster Clerguetius, quæ asseruantur MSS. in Musæo Clarissimi Filii virtutum paternarum hæredis.

Mortuus est Cabilone, anno M.D.C.XXXI. mense Maij: sepultus est in Ecclesia Cathedrali San-Vincentiana.

De *Salomone Clerguetio*, Claudius Robertus, *in Gallia Christiana, in Catalogo Episcoporum Cabilonensium*, Nicolaus Carolus Sanmarthanus, *in Historia Ecclesiastica Cabilonensi* MS.

IOANNES CHAPPOT *Ordinis Minimorum.*

CAbilonensis, Burgundus, honestis natus parentibus. Primus Cabilonensium, qui sacrum institutum Ordinis Minimorum S. Francisci de Paula amplexus est, in quo, ma-

gno pietatis exemplo, vsque ad extremum vitæ, integerrimè vixit & deuixit. Studia bonarum literarum cum vita monastica, & virtutis cultu ita semper coniunxit, vt in Virum doctrinâ, probitate & pietate celebrem euaserit. Hæ virtutes & eximiæ ingenij dotes in causa fuerunt, quòd noster CHAPPOTVS, apud suos Consodales multùm æstimatus extiterit, vt ex eo constat, quòd Nancæi in Lotharingia Nouitiorum Magister destinatus fuerit, deindè variis in monasteriis Correctoris munere functus sit, tandem Prouinciæ Burgundiæ Prouincialis, quo in officio obijt. Quòd autem ad nostri Conciuis charissimi ac mihi amicissimi doctrinam attinet, optimarum literarum studiis sanctorúmque hominum gestis inuestigandis se tradidit, & eximiâ deuotione incensus erga sanctissimum Patriarcham suum Franciscum Martotillam Paulanum, scripsit Gallicâ linguâ

S. *Francisci de Paula Vitam* duobus libris *distinctam*. Nancei, apud Sebastianum Philippum 1621. in 8.

Defensionem contra Epistolam Apologeticam Patris Claudij du Viuier. *Quà S. Franciscum de Paula sacri Ordinis Minimorum Patriarcham*, Sororem *habuisse probatur & Nepotes & rationes in oppositum refutantur. In fauorem Nepotum prænominati Sancti*. Parisiis, ex Officina Roberti Stephani 1628. in 4. Latinè.

Febre purpureâ correptus, expirauit in Domino Cabilone, anno à Christi natiuitate M.DCXXXI. mense Majo: sepultus est in sui Ordinis Ecclesia.

De *P. Ioannis Chappoti* meritis & Scriptis, Illustrissimus ac Reuerendissimus Præsul Regiensis Ludouicus Donius Attichius, Ordinis Minimorum, *in Historia Minimorum*, R. P. Franciscus Lanonius, Parisinus, *in Chronico Generali Minimorum*, R.P. Hilarion Costeus, Parisinus, S. Francisci Paulani pronepos, *in Vita S. Francisci Paulani*; & *in Elogiis Delphinorum*. Claudius Roberrus, *in Catalogo Correctorum Generalium Minimorum*. Doctores Academiæ Louaniensis, *in Censura pro canonizatione B. Ioannæ Francorum Reginæ ad Vrbanum VIII. Pont. Max.*

MARCVS DE LA CROIX *Medicus.*

HOnestâ familia Pontiuallii, apud Segusianos natus. Plurimos sanè cuiusuis disciplinæ Viros Literatos Prouincia Segusianorum nostris temporibus protulit. Inter Medicosquidem MARCVS CRVCEVS Doctor Valentinus, Laurentii Iouberti, Valentini, Delphinatis, Medici Regij suâ ætate celeberrimi Discipulus, ac Cabilonensis Medicus, multis nominibus eminet. Vir fuit sanè multiplici præditus eruditione, comis, perhumanus & grauis, sed proh dolor, à religione nostrâ alienus! præter insignem rei Medicæ cognitionem, literis cùm Græcis, tùm Latinis egregiè instructus. Quo etiam nomine, cum plerísque earundem Cultoribus, in his magno Laurentio Iouberto Archiatro Regio, magna illi amicitiæ necessitudo fuit. Cùm igitur extitisset eius Discipulus præclarus, edi curauit

Laurentij Iouberti, Valentini, Delphinatis Galliæ & Nauarræ Regum Medici, Academiæ Monspeliensis Regij Professoris, Cancellarij & Iudicis, Librum priorem de Variola magna, *qui veram & perfectam huius morbi Theoriam complectitur.* Cum *eleganti Præfatione* Clarissimis Medicæ artis Doctoribus, peritissimísque cùm operè tùm eiusdem Professoribus DD. Henrico Stapedio Agrippinati, & Ian-Antonio Saraceno, Lugduno *directa*, & Valentiæ Allobrogum, anno Christi MDLXXXI. V. Non. Aprilis *data.* Incipit. *Nuper mihi significatum est* &c. Scripsisse nostrum Cruceum compertum habeo.

Obseruationes rei Medicæ varias, ad Theophylum Cruceum filium Doctorem Medicum, *quas* MSS. asseruat CL. V. Philippus Guide, Cabilonensis, Doctor Medicus, vt habeo ex eius *Epistola* Cabilone *data*, anno M. DC.L. die XXII. Nouēb.

Deuixit Cabilone Octogenario maior anno Christi nati M. DCXXXIV. ætatis suæ vel circa LXXXIII.

De *Marci à Cruce* laudibus Laurentius Ioubertus, Delphinas, *in eius Oratione augurali*, & *in altera de Præsidiis futuri excellentis Medici.*

CLAVDIVS ENOCH VIREY *Secretarius Regius.*

PRæclaris natus parentibus, patre è nobili Neustriæ familiâ oriundo, anno Domini MDLXVI. in pago de Sassenajo, in prædio paterno, non procul à Cabilone florentissimâ Burgundiæ ciuitate dissito, eo ipso tempore, quo totum ferè Galliarum imperium bello intestino & ciuili ob religionem flagrabat ardentissimo. Adolescens sedulam primis Grammaticæ rudimentis & humanioribus literis operam dedit Diuione vrbe prouinciæ primariâ sub religiosissimis ac doctissimis Societatis Iesu Patribus. Tandem ætate firmior & maturior, parentibus consentientibus, Parisios profectus, vbi philosophica studia in regio Collegio Nauarrico, ingenti animo, sub celeberrimis philosophiæ professoribus, aggressus est. Hîc VIREYO intimus fauor occurrit Illustrissimi adolescentis Christophori Harlæi, Bellomontii in Gastinensi agro Comitis, Achillis Senatus Parisiensis Principis filii, posteà Aureliæ prouinciæ Proregis & ad Angliæ regem Oratoris pro Rege Christianissimo Ludouico XIII. Vnde tàm gratus ei fuit ob studiorum coniunctionem, vt Amplissimus Achilles Harlæus eius parens eum inter domesticos & Italici itineris comites ipsi tradiderit. Peractis igitur studiis philosophicis, Italicam peregrinationem cum Comite Bellomontio suscepit. Patauium deflexus, animum Iurisprudentiæ applicuit, ibique Doctor renunciatus est. Hîc, relicto Illustrissimo Comite Bellomontio, Academiam Senensem inuisit, vbi audiuit ac cognouit familiariter Metellum Bichium, Senensem, professorem Iuris scientiæ notissimum, posteà S.R.E. Cardinalem Eminentissimum. Hinc Romam. Deindè in patriam reuersus, inter Aduocatos Senatus Diuionensis adscriptus est, ac vxorem duxit Ioannam Biotam Cabilonensem, è qua suscepit Ioannem Christophorum VIREYVM, Consiliarium Regium & Magistrum Cameræ Computorum Burgundiæ, nunc piissimum

Sacerdotem, & Mariam VIREYAM nobilissimi ac doctissimi Petri Salmasii Chasanii Senatoris Diuionensis coniugem adhuc superstites. Iterùm Lutetiam Parisiorum petiit & à magno Achille Harlæo humaniter & benignè rursùm exceptus est, vbi per aliquot annos in contubernio Excellentissimi Christophori Harlæi Comitis Bellomontii, Secretarii munere functus est. Quo in officio, tanta fuit Claudii Enochii VIREYI probitas & integritas, vt Comes Bellomontius Serenissimo Henrico Borbonio Condæo principi stirpis regiæ primario obtulerit, ad idem munus exercendum, in quo tàm prudentissimè se gessit, vt Serenissimus Princeps VIREYVM, summâ gratia & honore sit complexus, præcipuè quod in omnibus rebus, votis & consiliis suis, quantùm potuit, prudentiam tueretur; pollebat certè iudicio eximio atque experientiâ singulari. Quanquam autem aulicis negotiis occupatus, parum temporis habebat reliquum, quod Musis tribueret, & horis subcisiuis opera nonnulla Poëtica, incredibili industriâ, componeret. Nunquam sibi natus, totus principi, totus patriæ fidus aulicus & ciuis beneficus vtrique semper fuit. Contigit enim anno M. DC IX. vt Princeps Condæus, cum Carola Margarita Mommoranciana sua coniuge omnibus gratiis decorata, coactus fuerit Belgium proficisci; VIREYVS vnicus domesticus eos comitatus est, tanquam fidissimus & charissimus. Apud Belgas, ita vixit, vt omnes aulicos & literatos viros præsertim Erycium Puteanum virum longè doctissimum & Pieridum Charitúmque Ocellum in sui amicitiam traxerit. Belgio tandem relicto Germaniam, Italiam, & Galliam cum Serenissimo Principe lustrauit; amicos suos veteres denuò visitauit, & summâ beneuolentiâ amplexus est. Sed Henricus Borbonius, auditâ morte Mediolani, magni Henrici IV. Francorum & Nauarræ Regis Christianissimi, statim Parisios reuertitur. Perstitit VIREYVS in eo nobili Secretarij Principis officio ad multos annos, donec iam senex aulicæ vitæ pertæsus pristino se reddidit, inter suos clarissimos & charissimos Conciues, otio. In deliciis hunc præstantissimum virum habuerunt præter Principem Condæum, Ludouica Margarita à Lotha-

ringia Princeps Contia, heroïna sanè liberalitate & doctrinâ illustris, Achilles Harlæus, Præses Senatus Parisiensis primarius, Christophorus Harlæus, Comes Bellomontius, Iacobus Augustus Thuanus, Præses Parisiensis, Petrus Ianinus, Heduus, Præses Diuionensis ac Regum Administer, & alij Magnates Viri summi & omni politiori literaturâ celeberrimi, necnon magnus Erycius Puteanus Iusti Lipsij successor, qui ad nostrũ VIREYVM dedit Epistolam elegantissimam hactenùs ineditam, quam ex autographo excerpsi, beneficio Nobilissimi Viri Iacobi Augusti VIREYI, Ioannis Christophori Filij & Claudii Enochi Nepotis, Prætoris Cabilonensis designati, Viri ingenio & literis præclari, cuius tenor talis est.

AMPLISSIMO VIRO, CLARISSIMO lumini Domino CLAVDIO ENOCH VIREY, *Consiliario & Secretario Regio, Erycius Puteanus S. D.*

CÆlum nunc demum, & sidera intueri videor, postquam in Galliâ, Vir Amplissime, cultissimo Orbe, cœpi innotescere. Vt miracula venerer, plures hîc soles sunt; & quodcumque lucet sidus, perenni radio benignum est. Regium iubar tu quidem æterno in me beneficio deriuas: illustras hominem, sed Lare seiunctum, & famâ tenuem; & quid nisi conspiciendum extollis? Iam quòd non ignotum fuisse scribis, in eo possum gloriari; nam demisisti affectum, vt assurgerem, quòd vltrò mittis literas, in eo erubesco: nam vt summo beneficio parem honorem iungeres, tui propemodum obliuisci voluisti. Fero tamen, imò laudo: maximum video, quia humanissimus fuisti. Hoc grandis habet animus: diuinam conditionem beneuolentia commendat. Quanti est, Illustrissimo Principi CONDÆO, *Heroi nomine, sanguine, virtute incomparabili à consilijs, & primis*

Secretis

Secretis esse! & sic fuisse! Quanti eadem dignitate iam Regium quoque munus sustinere! Ignorare virtutes tuas non possumus, celebrare cogimur. Atque ego cum te laudo, & amicum simul dico; ignorari ipse non possum, celebrari incipio. FLORITIVS *est, ille* FLORITIVS, *cui originem, famæ huius debeo: conciliare te mihi voluit, addidit laudes quibus inflammari poteram. Ipsum igitur Diploma, & in eo Nomen tuum exosculatus sum; Diploma, quo munior, Nomen quo æternor. Vtrumque cum videbunt posteri, æstimabunt scripta mea, & coniugent* LIPSIO *Puteanum, quem luculentissimus Galliæ fauor iniuriæ temporum eximet, nisi iam exemit. Magna hæc sunt: & sic quidem licet benignissimè tu mecum agas, indignus tamen tam præclaro sim beneficio, nisi Amplissimo & Illustrissimo Præfecto Annuli Regij, gratus existam. Ad hanc rem igitur operam illam tuam imploro, quam offers: vt gratiam dicas, & tamen æternùm me obstrictum fatearis. Ita me Deus, viuere incipio: Sol ille Galliæ respexit: quid? nominauit laudauit me, id est, immortalem fecit. Vale Vir Amplissime, meúsque splendor: ama hominem, quem beneficio fecisti tuum.* Louanij, XII. kal. *Aprileis.* M. IↃC. XV. *Æterno cultu obsequioque Amplitudini tuæ deuotus* ERICIVS PVTEANVS.

Tandem VIREYVS inter Consillarios, Secretarios & Notarios Regis, Coronæ & domus Franciæ iam adscriptus, concepto ingenti seu inani totius aulæ fastidio, abdidit se in Cabilonensem illum secessum, vbi liber solutusque cum tota familia in dulci & optato Musarum sinu placidè ac lubenter acquieuit. Patriam suam elegantissimis ædificiis ornauit, decorauit ac illustrauit, ibique inter suos nobiles Conciues præclarum ciuilis vitæ oblectamentum fuit.

........cui pudor, & iustitiæ soror
Incorrupta fides, nudáque veritas,
Quando vllum inuenerit parem?

Quinquies Maior ciuitatis Cabilonensis, omnium applausu, extitit, quòd adhuc nemini concessum fuit, & anno Domini MDCXXIX. mense Martij, solemni pompa inuictissimum, semperque Augustum *Ludouicum* XIII. Regem Christianissimum Cabilonem ingredientem recepit, ac ter orauit, summâ Regis, Reginarum, Principum, aliorumque aulæ magnatum admiratione; ac Numismata aurea, nomine ciuium Cabilonensium *Ludouico* obtulit, quæ Monarcha sapientissimus in suo regio Cimiliarchio asseruari iussit. Certabant in VIREYO virtutes omnes hoc supremo ciuitatis Cabilonensis fastigio dignæ, doctrina, iudicium facundia, rerum vsus, integritas, & quæ in eiusmodi magistratu laudabiliter administrando primas agit, admirabilis animi constantia. Erat Regibus *Henrico* IV. & *Ludouico* XIII. addictissimus, patriæ amantissimus, rarum denique ciuibus suis inconcussæ probitatis exemplum, aliorum commodo natus, sibi nusquam: qui vitæ tranquillitate fruens ad iucundum otium literarum conuersus multas horas sacris prophanisque literis, præsertim historiis impendebat, & vt secessum aut cum doctis suis conciuibus colloquia potissimùm requirunt illi qui Musas diligebant. Sngulis ferè diebus vernis, qui suauiter illucescebant ad Peripateticam deambulationem cum *Claudio Roberto*, *Salomone Clergueto* & *alijs Musagetis Cabilonensibus*, viris amicis, tùm apud Patres Capucinos, tùm per prata spatiosa, quibus ciuitas Cabilo decoratur. Fuit formâ eleganti, & procerâ corporis dignitate, vultu graui, moribus planè candidis, & animo præsertim ab omni auaritiæ labè prorsùs alieno. Ineo sane erat mens firma in aduersis & stabilis, probata animi constantia, & eximia vitæ integritas. Illis virtutibus exornatus, quæ virum pium & egregium decent, sic inter suos conciues elucebat, vt absolutissimum se virtutum exemplar omnibus imitan-

dum præberet. Pietatis argumenta sunt administratio perpetua Xenodochij Sanlaurentiani, quam vsque ad obitum habuit: in eo Sorores Xenodochij Belnensis collocauit, ac eas, legibus nouis, obstrinxit; conuersatio domorum religiosarum, Poëmatáque etiam nonnulla sacra Gallica, quibus Passionem Christi & Virginitatem ac vitam procul à mundi illecebris securam & feliciorem appetendam docuit. Sacros codices singulis diebus voluebat. Ad historicum tãdem stylum conuersus antiquorum Burgundionum res gestas Latino idiomate non ineleganti, ingenti studio conscripsit. Hic noster Ciuium honos *Bibliothecam* instruxit, quam selecta librorum supellectili, magnis impensis, non modò locupletauit, sed etiam ornauit ita bellè vt celeberrimas Burgundiæ quasque post se relinquat. Quam descripsit, omnibus suis numeris *R. P. Claudius Perry*, Cabilonensis, è Societate Iesu Theologus & Vates politissimus, Ode Pindaricâ elegantissimâ, quæ cùm sit hactenus inedita, & penes nobilissimum Virum Ioannem Christophorum VIREYVM MS. asseruata & mihi communicata, æterno Republicæ literariæ bono hîc damus eius initium.

Nequicquam cytharæ fides
Rudis modorum languida pulso manu?
Amicus ex quo nobilis otij
Pindum refugi scandere.
Nam quis infirmo superare gressu
Audebit bifidi culmina verticis
Post lene tempus dulcis inertiæ?
Virei quid in hospites
Quam dudum latices mihi
Adire cogis? mitte destinatum
Voluere stamen
Et liquido fauces auidas immergere fonti.

Sed modò videndum nobis eſt non tantùm quid viuens rei literariæ præſtiterit noſter VIREYVS, verùm etiam quid poſt mortem, quaſi teſtamento reliquerit, poſteris ad vtilitatem & ſibi ad nominis immortalitatem. Scripſit vtroque ſtylo opera quamplurima quorum catalogum hîc damus. Scripſit enim Latinè & Gallicè.

Itinerarium Italicum Henrici Borbonij Principis Condæi carmine. Extat MS Cabilone.

Orationes varias ad Ludouicum XIII. Regem, Mariam Medicæam & Annam Auſtriacam Reginas, Cardinalem Ducem Richelium & alios magnates Cabilone anno Chriſti MDCXXIX. ingredientes, dum Maioris officio fungebatur. Leguntur Tomo XIV. *Mercurij Gallici* anno MDCXXIX.

Orationem ad Henricum Borbonium Principem Condæum Burgundiæ Proregem &c. Cabilone anno 1632. menſe Decembri ingredientem. Extat MS. apud Cl. V. Ioannem Chriſtophorum Vireyum filium eius vnicum Conſiliarium Regium & Cameræ Computorum Burgundiæ Magiſtrum, nunc piiſſimum Sacerdotem.

Cabilonenſis Territorij deſcriptionem. MS. Ibid. *Legi.*

Commentarium fidele de Burgundiæ Imperio. MS. Ibid.

De Virginitate Poëma Gallicum MS. Ibid.

De Paſſione Chriſti Poëma alterum MS. Ibid.

Carmen Latinum ad Claudium Robertum Galliæ Chriſtianæ ſcriptorem diligentiſſimum, *quod* extat ante Galliam Chriſtianam.

Carmina varia ad diuerſos MSS. Ibid.

Opus Poëticum grande volumen, cui titulus eſt, *Flammetta ſeu Amores.* MS. Ibid. in folio Gallicè.

Tandem ex grauiſſimis calculi doloribus, quòd ferè præmium pro vigiliis à natura ſtudioſis rependitur, diem clauſit extremũ, Cabilone, anno Chriſti MDCXXXVI. die XXV. Iulij, ætatis ſuæ LXX. Sepultus eſt in Xenodochio ſuburbii S. Laurentii, cuius erat Adminiſtrator perpetuus, ſub tumba lapidea, iuxta Cœmeterij pauperum ianuam, cum hac inſcriptione Gallica.

CY. Gist. Noble. Claude. Enoch. Virey. Conseiller & Secretaire Du Roy. Maison & Couronne. De. France. & de ses. Finances. & Conseiller. & . Premier. Secretaire De. Monseigneur. Le Prince. De. Condé. Premier. Prince. Du Sang. Qui. Trepassa. Le XXV. Iour. De Juillet. En L'année. MDCXXXVI Agé. De LXX. Ans. Et. Damoiselle Ieanne. Biot. Sa. Femme. Qui. Trepassa. Le. XXIV. Iour. d'Auril. En l'année MDCXXXIX. Aagée. De. LXIII. Passés & Noble. Jean Christophe. Virey. Leurs. Fils. Conseiller. du. Roy. & Maistre Ordinaire. De. La. Chambre. Des. Comptes. De Bourgongne. & Conseiller. & Secretaire. Du Roy. Maison. &. Coronne. De France. & de ses. Finances. Qui Trepassa. Le. Iour. De........ & L'Année...... Agé, De .... & De. Damoiselle. Bonne. Galoys. Sa. Femme. Qui. Trepassa. Le. XXVIII. Jour. D'Octobre. En L'Année MDCXLIV. Aagée. De. XLV. Ans.

Quædam præclara Musa Cabilonensis in eius memoriam sequentia lusit carmina.

Et vos pierides quibus exornare virorum
Fortia facta datum est, cantaréque carmine docto
Eximios heroum actus, si numine vestro:
Non indigna aliis transmissa est gloria cædis.
Vitaque rapta manet potiori reddita fato.
Magniloquos aptate modos, celebrate VIRÆVM.
Et quodcumque meæ poterunt, audete Camœnæ.
Dicite & ingentes animos, dominumque periclis
Ereptum firmámque fidem passo que Labores
Cum tot adire vias tantos & adire penates;

Borbonio suasisset amor coniuxque petita
Alcandri illecebris quarum vis at irrita cessit.
Dicite seruatos ciues, factamque salutem.
Cum genus omne neci pecudum genus omne ferarum?
Cederet afflictum tabo, Cabiloque laborans:
Nil nisi funus erat durum. Memorate potentes
Vel mage Pæonio, curas memorate fugatam.
Assiduoque labore luem: vaga compita planctu:
Exultent, sibi sit medicina salusque VIRÆVS.

De *Claudio Enocho Vireio* Stephanus Richer, *Tomo XIV. Mercurij Gallici anno MDCXXIX.* Claudius Robertus, *in Gallia Christiana*, quam summo & infatigabili labore editioni secundæ parant Clarissimi Viri Ludouicus & Scæuola Sanmarthani Fratres Gemini, Historiographi Regij, Nicolaus Carolus Sanmarthanus, *in Historia Ecclesiastica Cabilonensi MS.*

CLAVDIVS ROBERTVS *Maior Archidiaconus.*

Lingonensis, Burgundus, Barri super Albam circa annum Domini MDLXIV. honestis natus parentibus. Adolescens Parisios missus in humanioribus disciplinis THEODORVM MARSILIVM Professorem Regium celeberrimum audiuit. Porrò incredibili discendi amore captus, dies noctesque in bonis studiis ita fœliciter, propter ingenii fæcunditatem, collocauit, vt emenso studiorum Philosophicorum & Theologicorum cursu, animum ad Ius Canonicum applicuit, & ad Licentiatus gradum euectus est. Crescentibus tandem virtutis & eruditionis meritis, *Andreæ Fremioti* Diuionensis, ex Senatore Archiepiscopi, Primatis & Patriarchæ Bituricensis Præceptor factus est, deinde *Iacobi de Nuchezes*, Andreæ nepotis, Episcopi

Cabilonensis, cum quo vsque ad extremum vitæ diem vixit, & cuius beneficio constitutus est Canonicus insignis Ecclesiæ Cathedralis San-Vincentianę Cabilonensis. Maior Archidiaconus & Vicarius generalis. Vir sanè propter summam vitæ integritatem, profundam eruditionem, singularem animi candorem, modestiam, mansuetudinem, prudentiam aliasque virtutes Eminentissimis ac Illustrissimis S. R. E. Cardinalibus *Cæsari Baronio*, Sorano, *Roberto Bellarmino*, Politiano, & *Arnaldo Ossato*, Auxitano aliisve Musagetis toto orbe nobilissimis charus atque notus extitit, & magno fuit in pretio. Fuit certè alter Zachæus staturâ pusillus, sed ingenio maximus; verus Israëlita in quo dolus non fuit, rarum probitatis exemplum, vnico contentus beneficio, choro assiduus, studiis semper intentus, Literis Græcis ac Latinis doctus, omni denique scientiarum genere peritissimus, Theologus eximius, & Historicus Ecclesiasticus nostri temporis nulli secundus, Germaniam, Flandriam, Italiam ac Galliam, in Andreæ Fremioti, comitatu, peragrauit. Sed quid CLAVDII ROBERTI mihi amicissimi ac studiorum meorum Fautoris optimè meriti virtutes omni encomio maiores, hîc laudare aggredior? Loquatur pro eo eruditissimus ac clarissimus *Andreas du Saussay*, Parisinus, S. R. E. Protonotarius, Concionator Regius, Ecclesiæ Sanctorum Lupi & Ægidii in Vrbe Pastor, ac Officialis Maiórque Vicarius Illustrissimi ac Reuerendissimi Archipræsulis Parisiensis *de Mysticis Galliæ scriptoribus*, vbi eius laudes sic prosequutus est. CLAVDIVS ROBERTVS *Presbyter Lingonensis, Vir integritate morum, doctrinæ vbertate & pietate singulari, raráque vtriúsque historiæ peritiâ, ac omnium panopliâ scientiarum nostrâ ætate perornatus: libri* Galliæ Christianæ *operis sanè ingenti eruditione conspersi, dignus immortalitate exarator.* Noster ROBERTVS, immenso labore Historias Ecclesiasticas præsertim Gallicas ab exordio Ecclesiæ nascentis, vsque ad sua tempora omnium Præsulum Galliarum nomenclaturam congessit, in ordinem digessit, & continuâ serie deduxit. At iam Literaria monimenta quæ posteris ad vtilitatem, sibi reliquit ad æternam gloriam, videamus. Edidit enim

ad *Iacobum Nuchezium*, Cabilonensium Præsulem dignissimum Latinè.

Galliam Christianam, in qua regni Franciæ ditionûmque vicinarum Diæceses, & in ijs Præsules describuntur. Lutetiæ Parisiorum, sumptibus Sebastiani Cramoisy, 1626. in folio. *Hoc opus* nunquam satis *laudatum* auidè ab omnibus Viris literatis expectatur multùm, *auctius*, & *correctius* studio & labore duorum illorum magnorum luminarium historiæ *Scæuolæ* & *Ludouici Sanmarthanorum* Fratrum Geminorum, Historiographorum Regiorum.

Diuionem. Ibidem.

Belnam. Ibid.

De Morte pulchra. Libellum. Ibid.

Scripserat olim *varia opera*, vt ab ipso didici, sed spontè *suppressa*, nempè.

Adagia Sacra ex sacris Scripturis eruta.

De Theologia Scholastica.

De Geographia.

Migrauit ad Dominũ placidè & Christianè Cabilone in Palatio Episcopali anno Incarnationis Dominicæ MDCXXXVII. die XVI. Maij circà horam meridianam maior Septuagenario, bonorum operum plenus: Tumulatus est in Naui Ecclesiæ Cathedralis S. Vincentii ante Cathedram concionatoriam. In cuius amicitiam & æternam memoriam, sequens condidi Epitaphium, quod retulit in suo Epitaphiorum horto parte primâ R. R. Petrus Guillebaud à *S.* Romualdo Engolismensis, Fullienſium Historiographus diligentissimus parùm à sequenti diuersum, quia in eo postea aliquid mutaui, ideo sic reponendum.

D. O. M.

Pijssimo. Viro. Claudio. Roberto. In. Diœcesi. Lingonensi. Honestis. Parentibus. Barrj. Super. Albam. Circa. Annum. Domini. MDLXIV. Nato. Insigni. Theodorj. Marsilij. Arnhemensis. Geldri. Professoris. Regij. Parisiensis. Artibus

tibus. Liberalibus. Quas. Ab. Ineunte. Ætate. Valdè. Coluit. Discipulo. Licentiato. Iuris. Pontificij. Celeberrimo. Literis. Græcis. Docto. Memoriâ. Fœlicissimo. Ingenio. Sano. Vitâ. Et. Moribus. Candidissimo. Præceptori. Illustrissimorum. Et. Reuerendissimorum. Andreæ. Fremiot. Olim. Archiepiscopi. Primatis. Et. Patriarchæ. Bituricensis. Necnon. Iacobi. De Nuchezes. Baronis. Des. Frans. Episcopi. Et. Comitis. Cabilonensis. Vigilantissimo. Canonico. Maiori. Archidiacono. Insignis. Ecclesiæ. Cathedralis. S. Vincentij. Cabilonensis. Tandem. Vicario Generali. Meritissimo. Consultori. Doctissimorum. Virorum. Præclaro. Eminentissimis. Ac. Eruditissimis. S. R. E. Cardinalibus. Cæsari. Baronio. Arnaldo. Ossato. Et. Roberto. Bellarmino. Aliisque Musagetis. Toto. Orbe. Nobilissimis. Charo. Dignissimo. Ecclesiasticis. Exemplari. Choro. Ecclesiæ. Ac. Studio. Semper. Intento. Vnico. Beneficio. Contento. Per. Vniuersam. Europam. Ob. Raram. Eius. Doctrinam. Notissimo. Poëtæ: Ingenioso. Rhetori. Suauissimo. Geographo. Exactissimo. Historicorum. Nostri. Temporis. Nulli. Secundo. Theologo. Eximio. Interpreti. Sacrarum. Literarum. Peritissimo. Auctori. Immortalis. Operis. Galliæ. Christianæ. Nunquam. Satis. Laudato. Senectute. Venerabili. Ac. Bonis. Operibus. Pleno. Post. Sacramentorum. Ecclesiæ. Receptionem. In. Palatio. Episcopali. Cabilonensi. Christianissimè. Anno. Post. Partum. Virgineum. M. DC. XXXVII. Die. XVI. Maij. Circa. Horam. Meridianam. Defuncto. Et. In. Ecclesiæ. Cathedralis. Naui. Ante. Cathedram. Concionatoriam. Sepulto. Magno. Totius. Europæ. Damno.

Collaudabunt multi sapientiam eius, & vsque in sæculum non delebitur. Non recedet memoria eius & nomen eius requiretur à generatione in generationem. Ecclesiastici cap. 39. v. 12. & 13.

VIVIT. POST. FVNERA. VIRTVS.

Frater Ludouicus Jacob à Sancto Carolo Cabilonensis Carmelita a moris ergô D. C. *Q. ac. M. P.*

Reuerendus admodũ Pater Petrus à Sancto Romualdo Fulliensis eruditus, *in Horto Epitaphiorum* varia Epitaphia in nostri Roberti memoriam, eleganti carmine, lusit, quæ hîc damus.

Primum ROBERTO Et Mihi commune est. Quando quidem in eo sic me loquentem inducit.

SI vitam vita mihi compensare liceret,
Magne Parens, mea iam, iam tua vita foret.
Sed mea vita nihil, potior tua cœlica vita,
O liceat tecum viuere, sicque mori.

ALIVD.

Quicquid habent Latiæ numerosa volumina linguæ
Edidici, Sophiam, carmina sacra, Deum.
Virtutem colui, cunctorum præmia tellus
Vana, Deus morum non peritura dedit.

ALIVD.

Robertus totus tumulo non clauditur isto,
Corpus humi recubat, spiritus astra tenet.
Corpus erat terræ, corpus sibi terra recepit,
Venerat è cælo spiritus, huc rediјt.
At quot conscripsit, doctéque, piéque volumen,

Tractandum sacris liquit vbique viris.

ALIVD.

Robertus tumulo cubat sub isto
Lampas orbis erat, lepos & vrbis,
Cleri gloria, Franciæ voluptas,
Doctrinæ Rosa, liliumque morum,
Demùm tàm benè se gerebat vltrò,
Vt nullus merito magis putetur
Dignus laudibus in solo, poloque.
Hospes non violis rosisque passim,
Eius sparge modo sacrum sepulchrum;
Ast hic ante Deum libens volensque,
Fletus funde pios, precesque sanctas,
Vt mentem illius inter Angelorum
Doctorúmque choros locet beatos.

De *Claudij Roberti* laudibus & scriptis, Andreas Duchesnius, Turonensis, Historiographorum, & Geographorum nostrâ ætate nulli secundus, *diuersis in Historiis Genealogicis*; & *Bibliothecâ Historiographorum Franciæ.* Scæuola & Ludouicus Sanmarthani, Fratres Gemini, *in Historia Genealogica Domus Franciæ.* R.P. Hilarion de Coste Ordinis Minimorum honos, *in Historia Catholica*; *Elogiis Delphinorum*; *Illustrium Fœminarum*; ac *Vitâ R. P. Marini Mersennij Ordinis sui Theologi*, Ioannes Iacobus Chiffletius, Vesuntionensis, Regis Hispaniarum Archiater, *in Vesuntione Imperiali.* Nicolus Camuzatus, Canonicus Trecensis, *in Epistola Amulonis Episcopi Lugdunensis.* Iacobus Seuertius, Bellŭocensis, Doctor Parisiensis & Ecclesiastes Lugdunẽsis, *in Chronologia Præsulũ Galliæ*, Petrus Saxius Canonicus Arelatẽsis, *in Historia Primatũ sanctæ Arelatensis Ecclesiæ*; R.P. Franciscus Lanouius, Ordinis Minimorum Chronogra-

phus eruditus, *in Minimorum Chronico Generali*; & *Syntagmate de Sanctis Franciæ Cancellarijs.* Ferdinandus Vghellus, Florentinus, Abbas Ordinis Cifterciensis, *in Additionibus ad Ciaconium*: & *Italiâ Sacrâ*, Petrus Thomas Saracenus, Bononiensis, Carmelita, *in Menologio Carmelitarum* Pirrus Rochus, Siculus, Abbas, *in Notitia Episcopatuum Siciliæ*: vbi corruptè vocat *Claudianum.* R. P. Theophylus Raynaudus Sabaudus, S. I. Theologus magni nominis, *in Indiculo Sanctorum Lugdunensium*: & *Vitâ S. Ioannis Benedicti*, R. P. Martinus Murissius, ex Franciscanorum Theologo Episcopus Madaurensis & Suffraganeus Metensis; *in Historia Præsulum Metensium*, Ioannes Plantauitius à Pausa, Episcopus Lodeuensis, *in Chronologia Præsulum Lodeuensium.* Claudius Hemeræus, Doctor Sorbonicus & Canonicus San-Quintinus, *libro de Academia Parisiensi*, P. Michael Muñoz, Hispanus, Carmelita, *in Propugnaculo Eliano*, Simon Barthelius, *in Chronologia Præsulum Regiensium*, R. P. Lucas Waddingus, Menapiensis, Hibernus, Ordinis Minorum Historiographus diligentissimus, *in Annalibus Fratrum Minorum*, Andreas du Saussay, *in Martyrologio Gallicano*; & *de Scriptoribus Galliæ Misticis.* Samuel Guichenon, Aduocatus Burgensis Sebusianorum, *in Chronologia Episcoporum Bellicensium*, & *in Historia Sebusiana.* Petrus Frizon, Doctor Nauarricus, *in Gallia Purpurata*, Chrysostomus Henriques, Ordinis Cisterciensis Historiographus, *in Menologio Cisterciensi.* Bartholomæus Quarrè, Diuionensis S. Michaelis Vicarius perpetuus, *libro de Ægrotorum consolatione*, eum vocat *Sacerdotum Ornamentum.* Ioannes Le Paige, Ordinis Præmonstratensis, Doctor Theologus Parisiensis, *in Bibliotheca Præmonstratensi.* R. P. Dominicus à Iesu, Aruernus, Carmelita Excalceatus, *in Historia Sanctorum trium Protectorum Aruerniæ superioris*, P. Hugo Menard, Benedictinus, *in Martyrologio Benedictinorum*: & *libro de Vnico Dionysio*, P. Martinus Marier, etiam Benedictinus, *in Historia* seu *Catalogo Abbatum, S. Martini de Campis*, P. Petrus Rouerius S. I. *in Historia Reomanensi*: & *Vitâ Francisci Cardinalis Rupisucaldi.* P. Thomas Aquinas à S. Ioseph, Aruernus, Carmelita Excalceatus, *libro de Patriarchatu Eliæ*: & *in Dissertatione de Episcopatu*

Arisitensi. Aubertus Miræus Bruxellensis, Decanus Antuerpiensis peritissimus, *in Bibliothecæ Ecclesiasticæ Auctuario.* Arnoldus Oihernardus, Vasco literis clarus, *in Notitia Vtriusque Vasconiæ*; R.P. Arthurus è Monasterio, Neustrius, Recollectus, *in Martyrologio Franciscanorum.* P. Iacobus Rinaldus S. I. *in Notis Liliorum* seu *Florum Galliæ Sanctæ*, Leo Allatius *in Apibus Vrbanis*, Philibertus Boullier, Canonicus Cabilonensis & Diuionensis, *in Notis Historicis & Christianis in sacrosanctā hostiam Diuionensem.* Ioannes Besly *de Episcopis Pictauiensibus.* Vita & Regula FF. Ordinis Minimorum S. Francisci de Paula, Parisiis, apud Fiacrum Dehors, 1631. in 16. edita, cap. *de Ortu & progressione Ordinis Minimorum, cap.* 28. Carolus de Combauld, Baro Altelius, Vir & antiquâ nobilitate & rarâ eruditione præditus, *in Historia Ministrorum Status*, Michael Cosnier, sacerdos Pictauiensis, Parochus Fontebaldensis, *in Notis ad vitam B. Roberti de Arbresello*, Anonymus Religiosus Ordinis S. Antonii Viennensis, *in nuda & breui Historia Ordinis Antoniani Idea* MS. in Bibliotheca Harlæana Parisina. P. Carolus Rapine, Recolectus, *in Annalibus Ecclesiasticis Catalaunensibus*, Antonius Le Roy, Cenomanensis, Pastor Meudonius, *in Ludo Meudoniano.* Franciscus Augustinus ab Ecclesia, Salutiarum Episcopus, *in Historia Chronologica Pedemontanorum Præsulum.* Scipio Dupleix, Historiographus Regius, *in Examine Notarum Aristarchi.* Dionysius Gothofredus, Parisinus, *in Notis ad Historiam Philippi Cominæi.* Petrus Palliot, *in Parlamento Burgundiæ.* Iacobus Auzolius Peyrius *in Sancta Epiphania*, Franciscus Bosquetus, nunc Episcopus Lodeuensis, *in Notis ad Historiam Romanorum Pontificum.* Franciscus Maria Turrigius Romanus, Sacerdos, *libro de Eminentissimis* S. *R.* E. *Scriptoribus Cardinalibus*, Antonius Auberius, Parisinus, *in Historia Generali Cardinalium.* Guilielmus Catellus, Senator Tolosanus, *in Historia Occitaniæ*, Adrianus dela Morliere *in Antiquitatibus Ambianensibus 1643. in folio editis.* Gregorius Nazianzenus à Sancto Basilio, Carmelita Excalceatus, *in Adoptione Virginali.* Angelus Manrique, *in Annalibus Cistercienfibus.* Ioannes Baptista Guesnay S.I. *in Disquisitione Disquisitionis de Magda-*

lena Massiliensi Aduena. Marcus Anthonius Alegre de Casanate, Arrago, Carmelita, *in Paradiso Carmelitici Decoris.* Ioannes Cheron, Carmelita, Burdegalensis, *in Sacri Scapularis & visionis S. Simonis Stokij Carmelitæ Vindicijs*, Anastasius à S. Agnete, Augustinianus Excalceatus, *in Chronologia Præsulum & Religionum sub Regula S. Augustini militantium.* Ioannes de la Barre, *in Historia Corboliensi* Honoratus Niquet S. I. *in Historia Font-ebraldensi.* Matthæus de Goussancourt, Cælestinus, *in Martyrologio Equitum Melitensium*, Antonius Dandinus Altesserra, *lib. de Ducibus & Comitibus Prouincialibus Galliæ.* Gaspar Iongelinus, Monachus Ordinis Cisterciensis, *in Purpura Cisterciensi, & Notitia Abbatiatum Cisterciensium.* Albertus Magnus, Mörlasius, Dominicanus, Armoricus, *in Vitis Sanctorum & Sanctarum Armoricæ*, Petrus de Marca ex Præside Palensi Episcopus Coseranensis, *de Primatu Lugdunensi*, Ioannes Bolandus S. I. *in Actis Sanctorum*, Nicolaus des Guerrois à Iesu, *in Vitis Sanctorum Campaniæ.* Ignatius Ioseph Samson à Iesu Maria, Carmelita Excalceatus, *in Vita S. Mauri Abbatis*: & *in Historià Ecclesiasticà Abbauilensi.* Augustinus Barbosa, Lusitanus, *in Collectaneis Doctorum in Decretales*, Antonius Mallet, Dominicanus, *in libris de Illustribus viris Ordinis Prædicatorum Conuentus* S. *Iacobi Parisiensis.* Ioannes Le Laboureur, *in Tumulis Virorum illustrium*, Franciscus Le Maire, Aurelianensis, *in Antiquitatibus Ciuitatis Aurelianensis*, Cornelius Curtius, Augustinianus, *in Elogijs Illustrium Augustinianorum.* Petrus Bollioud, Lugdunensis, S. I. *in Symphoriano de Bollioud Episcopo*, Thomas de Herrera, Hispanus, Augustinianus, *in Alphabeto Augustiniano.* Arnoldus Raissius, Belga, *in Ecclesiastica Belgica*, Guilielmus du Peyrat, Lugdunensis, *in Antiquitatibus Capellæ Regiæ*, Christophorus Iustellus, *lib. 2. Historiæ domus Aruerniæ*, Petrus à S. Romualdo, *in Thesauro Chronologico & Historico* : & *in Horto Epitaphiorum*, Philippus Labbe, Biturix S. I. *in Synopsi Historica Conciliorum Galliæ*, Ægidius Gelenius, Canonicus Coloniensis, *de Admiranda, sacra & Ciuili magnitudine Coloniæ Agripinæ Vrbis*; Germanus Habertus, Abbas Cerisiacus, *in Vita Petri Cardinalis Berulij.* Honoratus Leotardus, *in Hercule Commodiano*, Antonius Le Couruaisier de Courteilles, *in Historia*

Episcoporum Cœnomanensium, Iacobus Philippus Tomasinus, Patauinus, Episcopus Æmoniensis, *in Parnasso Euganeo* seu *de Scriptoribus ac Literatis huius æui claris.* Bartholomeus Chioccarellus I. C. Neapolitanus, *in Historia Archiepiscoporum Neapolitanorum.* Ludouicus Cantarellus Faber, *in Discursu Historico matrimonij Ansberti & Blitildæ.* Dionisius Gautherot, Aduocatus Lingonensis, *in Anastasi Lingonensi*, Iacobus Eueillon, Canonicus Andecauensis, Theologus Parisiensis, *in Apologia pro* S. *Renato*, Ioannes de Launoy, Constantiensis, Theologus Parisiensis, *in Apologia pro Nesingo.* Claudius Enoch Virey, Cabilonensis, *in Carmine in laudem Claudij Roberti.* Michael Constantinus, Sacerdos, *Ibid.* Iacobus Isnard, Aduocatus Aquensis, *Ibid.* Franciscus Guinetus *Ibid.* N. Le Maistre, Trecensis, *Ibid.* N. Fougeron, Bituricensis, *Ibid.* Nicolaus Sanmarthanus, Scæuolæ secundi Filius, *in Historia Ecclesiastica Cabilonensi* MS. Guilielmus Colletetus, Parisinus, *in Vitis Poëtarum Gallorum* hactenùs *ineditis.* Ego etiam *in Bibliotheca Pontificia: in Tractatu Gallico de præstantissimis totius Orbis Bibliothecis: Bibliothecâ Historiographorum Franciæ;* & *Bibliothecâ Illustrium Fœminarum, quæ scriptis claruerunt.* Ioannes Baptista de Lezana, *Tomo secundo Annalium Carmelitarum*, Guilielmus Marlot, magnus Prior S. Nicasij Rhemensis, *lib. 2. de sacra Regum vnctione.* Iacobus Alexander Tenneurius, *in Veritate vindicata aduersùs Io. Iac. Chiffletij Vindicias Hispanicas.*

CLEMENS CYRIACVS, *cognomentò*, MANGINVS.

CAbilonensis, natus in pago de Giniaco, qui tertio lapide à Cabilone distat, in diœcesi & præfectura Cabilonensi, honestâ MANGINORVM familiâ. Non debet raræ huius viri doctrinæ splendor debitis carere laudibus, cuius in Rempublicam literariam meritis par gratia rependi non potest. Nam felicis indolis adolescens, humanioribus literis in Gymnasio Cabilonensi probè perceptis ad Philosophiæ

se studia contulit, quibus peractis, Guilielmi Prisque, a Domini Seruilæj, Cabilonensis posteà rerum criminalium Præfecti integerrimi, & Clarissimi quondam Præceptor extitit. Deinde Parisios profectus Theologiam ac Mathematicam scientiam summo cum labore & studio diligenter didicit. Cùm esset ad omnes scientias aptus, Italiam lustrauit, Romam accersitus, Cardinalis SS. quatuor Coronatorum domesticus extitit, inde Bononiam profectus rei Medicæ totum se studio dedit, & ita se dedit, vt communibus Academici senatus suffragiis anno 1600. 22. Iunij, Doctor sit gratis renunciatus. Tandem in patriam redux, totam ferè Galliam, Flandriam, Germaniam, atque Sarmatiam posteà peragrauit. Iterum Parisios petiit, ibidemque, vsque ad extremum vitæ diem, pedem fixit, & Mathematicas docuit. MANGINVS noster omni ferè doctrinâ imbutus, Mathematicis potissimùm excelluit, vt vix parem in ea arte ætas nostra tulerit. Iacobo Dauy Perronio S. R. E. Cardinali viro toto orbe celeberrimo, aliisque suâ ætate viris peritissimis notus & charus. Fuit sanè in nostro CYRIACO multiplex eruditio, exacta linguæ cùm Græcæ tùm Hebraicæ & Latinæ cognitio, sacrarum prophanarúmque rerum haud mediocris intelligentia, ingenio magnus, sed animo inconstans. Scripsit Latinè ad Cardinalem Perronium,

Problemata duo nobilissima, quorum nec analysin Geometricam, videntur tenuisse Ioannes Regiomontanus *&* Petrus Nonius; *nec non demonstrationem satis accuratam repræsentasse,* Franciscus Vieta *&* Marinus Gheraldus *nunc demùm à* CLEMENTE CYRIACO, *diligentiùs elaborata & nouis analyseon formis exculta.* Inscriptiones *præterea figurarum non iniucundæ.* Parisijs, apud Viduam Dauidis Le Clerc. 1616. in 4.

Problematum opus amplissimum, scripsisse colligo ex ipsius *Præfatione.* Item

Schediasmata Poëtica & Critica, sed hactenùs *inedita*, quòd sciam.

Alia eius *scripta* sunt mihi *ignota.* Didici à Cl. Viro Claudio Hardy, Parisino Consiliario Prætorii Parisiensis *Opera Mathematica*

thematica Petri Herigone esse omninò nostri Cyriaci.

Decessit Lutetiæ Parisiorum in Collegio Burgundico, post Sacramentorum receptionem, anno à partu Virgineo MDCXLII. Die XXIV. Octobris ætatis suæ circa annum LXXII. Iacet in Ecclesia Parochiali SS. Cosmæ & Damiani.

De *Clemente Cyriaco* Marinus Gethaldus, Patricius Ragusinus, *libro secundo de resolutione & compositione Mathematica*, Alexander Andersonus, Scotus, *in Breui Diacrisi in Clementis Cyriaci Animaduersionem in Ioannem Regio-montanum & Franciscum Vietam*.

a Priscus Iustitiæ Cabilonensis Præses sub Antonino Pio. Ex Actis S. Marcelli Martyris.

IOBVS BOVVOT *Iurisconsultus*,

NAtus Cabilone circa annum Domini 1558. Petro Bouuoto Aduocato & Annâ Guide parentibus præclaris. Hic in patriâ ab ipsa adolescentia, parentum curâ, liberaliter educatus, humaniores literas, omnesque ingenuas artes diligenter didicit. Anno 1579. Auaricum Biturigum concessit ad Iurisprudentiam perdiscendam, vbi studia sua, sub Iacobo Cuiacio, viro, toto orbe, notissimo, perfecit; ideò gradus Licentiati, magno cum honore, ibidem anno 1580. die 7. Iunij accepit. In patriam reuersus, factus est Aduocatus in suprema Curia Burgundiæ; posteà Cabilone redux, vxorem duxit, è qua prolem numerosam habuit. Vir magnæ eruditionis, multæ lectionis, alti ingenii ac in negotiis dirigendis solidi iudicii, Iurisconsultus sanè nostro æuo celeberrimus. Testes profundæ literaturæ Bouuoti locupletissimi sunt doctæ quas edidit ad sui nominis famam & posteritatis vtilitatem lucubrationes. Scripsit sermone Gallico,

Nouam Collectionem Placitorum Burgundiæ, in qua diuersæ notabiles quæstiones Iuris tàm consuetudinarii quàm Romani continentur & explicantur. Geneuæ, apud Petrum & Ia-

cobum Choüet 1623. in 4.

Commentarium in Titulum Consuetudinis Burgundicæ de Iuribus, ad personas vxoratas, pertinentibus. Geneuæ, apud eosdem, 1623. in 4.

Nouæ Collectionis Placitorum Burgundiæ Tomum secundum. Geneuæ, è Typographia Iacobi Stoëri, 1628. in 4.

Consuetudinem Burgundiæ de nouo Commentarijs adauctam, abbreuiatam & collatam cum omnibus alijs Franciæ Consuetudinibus. Geneuæ, apud Petrum & Iacobum Choüet, 1633. in 4. ad Theodorum Bouuotum filium primogenitum Aduocatum Senatus Burgundiæ.

Epitomen Commentarij generalis in Consuetudinem Burgundicam, veram, & summariam interpretationem, continentem, extractam è Consuetudinibus Prouinciarum Franciæ & Placitis supremæ Curiæ Diuionensis. Geneuæ, apud eosdem, 1632. in 4.

Breues Annotationes in consuetudinem Burgundiæ Tit. de iure Iustitiæ &c. cum Placitis Parlamenti. Ibidem, apud eosdem, 1632. in 4.

Nouæ Collectionis Placitorum Burgundiæ Tomum Tertium. Extat MS. apud Cl. Virum Lazarum Bouuotum filium, Aduocatum Cabilonensem.

Collationem Placitorum aliorum Senatuum cum illis Senatus Burgundiæ. Extat MS. Ibid. apud eundem.

* Moritur *Cabilone* in religione Caluiniana anno Christi redempti MDCXXXVI. mense Iulio, ætatis suæ LXXVIII.

De *Iobi Bouuoti* scriptis, P. Stephanus Bauny, Mesomensis S. I. Theologus, *in Practica Iuris canonici.* Georgius Draudius, *in Bibliotheca Exotica.* In eius laudem *Carmina Latina* & *Gallica* ediderunt Marcus Antonius Millotetus, Comes Consistorialis, & Regius Aduocatus Fiscalis Senatus Diuionensis. Ioannes Bernardus[a] etiam Comes Consistorialis & Prætor Cabilonensis. Nicolaus Matthieu[b] Consiliarius Regius & Prouinciæ Cabilonensis Vicarius. Ioannes Chretinus[c] Consiliarius, & aduocatus Regius Cabilonensis, Guilielmus Iornot[d] in Præfectura Cabilonensi Consiliarius. L. Puteanus apud Præsidiales Sebusianos Consiliarius Regius, Marcus Antonius Millotetus M. A. Filius

Aduocatus Curiæ Burgundiæ nũc Regius, Benignus Bernardus [e] Ioannis Filius, Aduocatus Parlamenti, nunc Senator Diuionensis, Petrus Dhoge [f] syluarum Regis Præfectus, Claudius de Pontoux [g] Cabilonensis Aduocatus, Adamus Ioly [h] antiquior, Cabilonensis Aduocatus, Ludouicus Perry [i] Cabilonensis Aduocatus ac Maior Ciuitatis, Carolus Deuilley [k] Aduocatus Cabilonensis, Guilielmus Baccon [l] Cabilonensis Aduocatus, Salomon Clerguet Episcopali audientiæ sæculari apud Cabilonenses Præfectus, Theophylus Crucianus, doctor Medicus. Ioannes Baptista Perry [m] Cabilonensis Iuris Candidatus, postea Iudex Regius. Theodorus Ianthial [n] Cabilonensis Aduocatus, Ioannes Baptista Deuilley [o] filius Cabilonensis Aduocatus, Iosias Machureau Cabilonensis Chirurgus. Theophylus Chaudeaut, [p] Cabilonensis Aduocatus, Ioannes Iornot [q] Aduocatus Cabilonensis. Theodorus Bouuot Cabilonensis Aduocatus Iobi filius natu maior, Iobus Bouuotus, [r] Doctor Medicus filius, Petrus Bouuotus [s] filius Adu. Cabilon. M. N. [u] filius, Marcus Bouuotus [x] Cabilonensis Aduocatus. Lazarus Bouuotus [y] Cabilonensis Aduocatus, N. M R. C. L.

a Viuit 1651. b Viuit 1651. c Obijt 1642. d obijt 1647. e Viuit 1651. f Viuit 1651. g Viuit 1651 h Viuit 1651. i obijt 1631. k Obijt 1643. l Obijt. m. obijt 1630. n obijt 1635. o obijt 1642. p. obijt 1631. q Obijt 1625. r Obijt 1649. s Obijt 1629. t Obijt 1620. u Obijt 1633. x 1629. y Viuit 1651.

PETRVS DVRAND *Carthusianus*,

Bernardi Durandi Iurisconsulti Frater, Cabilonensis, vix ephebus seculo valedixit, & Christi vexillum secutus, Sacro Ordini Carthusiensi nomen dedit, in quo religiosissimè vixit & deuixit. Vir omni virtutum genere ornatus, summâ ingenii laude, parique integritatis opinione, ac profundâ literarum cognitione celebris; etiam in linguis Latinis, Græcis & Hebraïcis peritissimus. Scripsit

Notas & *Obseruationes in Victoriam* seu *Librum* Porcheti Saluatici Genuensis Carthusiani doctissimi, *aduersùs impios Hebræos*, in quo (ait Theodorus Petreius, *in Bibliotheca Carthusiana*) tùm ex diuinis literis, tùm ex Thalmudicis, Caballistarúmque libris Christianæ fidei veritatem non minus doctè quàm laboriosè comprobat.

Orationem elegantem de Excellentia Ordinis Carthusiani, vt habeo *ex schedis* Cl. Viri Bernardi Durandi Bernardi Filij & Petri nepotis, Aduocati Cabilonensis.

De tempore eius obitus nihil hactenùs reperj; floruit tamen hoc sæculo.

THEOPHILVS CASSEGRAIN

PAtriâ Stampensis, *Claudij Cassegranij* Prætoris Stampensis filius, Minister religionis Galuinianæ primùm Pontiuallii apud Sebusianos, deinde Diuionensis, postremò Cabilonensis. Vir musarum cultor egregius, continuæ lectionis & magnæ eruditionis, linguarum Hebraicarum, Syriacarum, Græcarum & Latinarum peritissimus. Edidit Gallicè.

Ad omnes Theologos Ecclesiæ *Romanæ certamen*.

Ad Iacobum Dany Petronium Præsulem Ebroicensem posteà Cardinalem Epistolam, quam legi editam.

Disputationem factam Diuione cum Andrea Valladerio tunc Societatis Iesu Theologo, postea Abbate S. *Arnulphi Metensis Ordinis Sancti Benedicti, coràm Rogero Bellogardio Burgundiæ Prorege*. Extat MS. Cabilone apud D. *Theophylum Poullet* eius nepotem.

Moritur Cabilone oculis captus anno Christi Seruatoris M.DCXXXVII. ætatis verò XC. cæcitatis verò XV.

Aduersùs *Theophilum Cassegranium* Scripserunt R.P. Franciscus Humblot, Ordinis Minimorum Concionator & Theologus eximius, *in Disputatione solemni Matiscone habita inter Franciscum Humblot & Theophilum Cassegranium*. An-

dreas Valladerius, Segusianus, *Libro 1. Tyrannomaniæ.*

CLAVDIVS BERNARD.

COgnomento *Pauper Sacerdos*, illustri natus prosapiâ, Diuione anno Christi MDLXXXVIII. die XXVI. Decembris, qui dies D. Stephano Protomartyri sacer, *Stephano* patre tunc in Comitiis Blesensibus Oratore, matre verò *Margaritâ Paradinâ Ioannis Paradini* Archiatri Regii vnicâ gnatâ. Is adolescens Dolæ apud Sequanos primùm, deinde Diuione humaniores literas, tandem Lugduni Philosophiam accuratè sub Patribus Societatis Iesu didicit. *Tolosæ* dùm versatur & Iuris scientiam quoque libat, Pater ipsi anno gratiæ MDCIX. eripitur Cabilonensis tunc Ciuitatitis prætorio Præfectus integerrimus. Morte igitur Clarissimi parentis auditâ, Cabilonem reuertitur, vbi aliquandiù cùm *Ioanne Bernardo* charissimo fratre natu maiore degit; posteà Diuione cum dilectissimis sororibus aliísve parentibus. Cùm noster BERNARDVS esset ingenio facetus & conuersatione amabilis, magno fuit in precio tùm apud suos Conciues, tùm apud Magnates, præsertim *Rogerum Sanlarium Bellogardium*, Burgundiæ Proregem. Abbatiam S. Sulpitii Ordinis Cisterciensis, diœcesis Bellicensis, Regis Christianissimi Ludouici XIII. nominatione, accepit, quam tamen, pensione modicâ dumtaxat retentâ, Ordini Cisterciensi reliquit. Hic duodecim annorum spatio vitam filii sæculi duxit, choreis, ludis & cæteris eius ætatis vanitatibus magnam partem impendit; sed cum ad sublimioris vitæ genus à Deo vocaretur, sacerdotali dignitate, diuino impellente numine, à religiosissimo Viro *Ioanne Petro Camusio*, Præsule Bellicensi *B. Francisci Salesii* Episcopi Gebennensis sanctitate, & miraculorum gloriâ conspicui discipulo est decoratus. BERNARDVS tandem ex filio sæculi in Christi alumnum transformatus, ac de diuina voluntate certior factus, nec amplius hæsitans, vel flu-

ctuans, quid à se tandem vellet aut exigeret Pater luminum nihil magis in animum habuit, quam vt sacerdotii non tam gradum & honorem, quam perfectionem & meritum assequeretur. Ita ad Dominum conuersus, nihil ad aliud aspirauit quam Xenodochia & Carceres visitare, afflictos solari, atque Dei membra magnis eleemosynis & largitionibus adiuuare. Vir fuit sanè post Sacerdotium susceptum, verum vas electionis, singulare Ecclesiæ ornamentum, æternum Sacerdotum exemplar, humilitatis & paupertatis eximium speculum, Pater pauperum, reorum solatium, in tolerandis iniuriis tam facilis, vt in prouerbium iam vertisset, iniuria ipsum aliqua prouocare debere, qui sibi vellet eum maximè demereri. B. Virgini Mariæ deuotissimus, Magnatibus charus & familiaris, vitæ sanctimonia illustris, & eruditione celebris, in Pictura, Poësi ac Mathematicâ versatus & doctus. Scripsit vulgari suo idiomate non ineleganti stylo.

De rebus gestis Philippi Macedonum Regis Poëma, quod asseruat MS. in suo Musæo eius charissimus frater *Ioannes Bernardus*, Prætor Cabilonensis, vt ab ipso didici.

In Sacrosanctum Eucharistiæ Sacramentum Poëma alterum MS. Ibid.

De Passione Christi Poëma alterum MS.

Carmina alia quamplurima MSS. Ibid. apud eundem.

Hoc sydus Parisiis pleuritide extinctum est, anno Incarnationis Dominicæ M D C X L I. die XXIII. Martii, ætatis suæ L I I I. conuersionis XXI. Eius corpus conditum fuit in Nosocomio Fratrum Charitatis, in suburbio San germano, in Sarcophago lapideo, absque vlla inscriptione. *Cor* verò Cabilone ad Ararim in Ecclesia Patrum Minimorum S. Francisci de Paula, iuxta corpus *Stephani Bernardi* eius parentis, in cuius memoriam sequens Distichon numerale lusit eius clarissimus frater *Ioannes Bernardus*.

DIVIo nataLIs bernarDo ILLVXIt & eIVs
parIsIIs CorpVs, Cor CabILone IaCent.

De *R. P. Claudij Bernardi* vita & meritis, Ioannes Petrus Camus Episcopus Bellicensis, *in eius Elogio Funebri.* Thomas Gauffre, Cameræ Computorum Parisiensis Magister, Sacerdos & Claudii Bernardi Successor, *in eius Vita*, Franciscus Gerson, Doctor Theologus, *Ibid.* Pugetius de la Serre, Historiographus Regius, *Ibid.* P. Petrus à S. Romualdo, Fuliensis, *Tomo tertio Thesauri Chronologici & Historici anno 1641.* Ioannes du Verger de Hauranne, Abbas San-Cyranus, *in Epistolis*, P. Philippus Labbe S. I. *in Diario Historico die* XXIII. *Martij.*

CAROLVS DEVILLEY *Aduocatus*,

NAtus in pago de Longapetra ad Dubium, in Præfectura Cabilonensi sito, Aduocatus Cabilonensis. Vir ingenio & literis clarus, Poëta Gallus facetus & non ignobilis. Scripsit vernaculâ linguâ.

Carmina in laudem Iobi Bouuoti. *Quæ* leguntur ante eius *Commentaria in Burgundiæ Consuetudines.*

De Rupella capta Poëma. Asseruatur MS. Cabilone apud *Hæredes.*

Cantiunculas varias MSS.

Et *Carmina faceta quamplurima.* Quæ omnia asseruantur MSS. apud relatos *Hæredes* & Cl. Virum *Philippum Guide*, Doctorem Medicum.

Mortuus est Cabilone anno à Christo nato MDCXLIII. die IV. Iunii, ætatis suæ LXXV.

IOANNES GOVSSIER *Franciscanus*,

SEquano-Burgundus, Dolæ in Comitatu Burgundiæ honestis natus parentibus. Is à pueritia Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci Assisiatis institutum amplexus

est. Cuius ingenium ad literas natum, Latini sermonis elegantiam auidè didicit, maturâ ætate accuratè, eadem studia reuoluit & per omnem vitæ cursum impensè coluit. Cùm esset igitur ingenti scientiarum amore captus, Parisios petiit, superiorum permissu, vbi scientiis Philosophicis & Theologicis operam dedit sub *R. P. Gaulon.* Posteà bis Italiam peragrauit; sed posteà reuersus in suam S. Bonauenturæ prouinciam, dies noctesque in bonis studiis ita feliciter propter ingenii maturitatem, & ardens discendi desiderium collocauit, vt in virum doctum euaserit. Apud populum etiam frequentes conciones habuit, præsertim Lohanensem, apud quem tantâ polluit auctoritate ob vitæ religiosæ integritatem, morum rigiditatem & literarum cognitionem; vt anno salutis 1624. Conuentum strictioris obseruantiæ, ciuium liberalitate, ædificauerit, cuius *primus Guardianus*, à R. P. Ministro Prouinciali prouinciæ Burgundiæ, siuè S. Bonauenturæ constitutus fuit. Deindè Cabilonem profectus *Monialium Ordinis S. Dominici* Confessarius vsque ad extremum vitæ extitit. Vir sanè pietatis & eruditionis cultor insignis & diuinæ gloriæ zelo valdè feruidus, omnium vitiorum osor, omniúmque virtutum amator, in arte Picturæ & Poëtices satis versatus, & linguâ Italicâ imbutus. Nunc quæ doctrinæ suæ monimenta ad vtilitatem Reipublicæ literariæ reliquerit, videndum superest. Edidit Gallico Idiomate,

Elogium Ioannis à Portugallia Franciscani Cabilonensis. Lugduni, 1642. in 4. Typis Ioannis Amati Candy.

Obiit Cabilone, anno Christi 1648. die 2. Martii, quæ erat prima dies Lunæ Quadragesimæ, ætatis suæ 63. sepultus apud suos.

THEOPHILVS DE LA CROIX *Medicus*,

MArci filius, natus anno Domini MDLXXXV. Adolescens humanioribus literis dedit operam in Collegi

legio Cabilonensi. Deindè missus Montem-Pessulum, emẽsis fœliciter Medicis studiis, Medici Doctoratus insignia suscepit. Tandem in patriam reuersus, vxorem duxit, & Medicinam professus est. Fuit ille quidem in arte Poëtica egregiè versatus. Scripsit:

Carmina Latina ad Iobum Bouuot Cabilonensem Aduocatum, *quæ* sunt *edita* ante *Opera Iuridica* Bouuoti.

Carmina alia Latina quamplurima hactenùs *inedita*; quæ asseruantur tùm apud *Hæredes*, cùm apud Cl. V. *Ioannem Bernard*, Comitem Consistorialem & Prætorem Cabilonensem, qui mihi pro sua singulari in me beneuolentiâ, legenda ea tradidit, nec non apud *Philippum Guide*, Doctorem Medicum.

Decessit *Cabilone* religionis Caluinianæ sectator, anno post aduentum Messiæ MDCXLIX. ætatis suæ LXIV.

IOANNES BAPTISTA LANTINVS
Senator Diuionensis,

NAtus Cabilone apud Ambarros, præclaris parentibus, ex Aduocato Senator Diuionensis integerrimus, sapientissimus, & eruditissimus. Scripsit Latinè ad *Pontum Tyardæum* Præsulem Cabilonensem.

Epistolam; quæ legitur ad finem *Libri* Tyardæi *de Recta nominum impositione*.

Epigramma Latinum ad eundem. Extat Ibid.

Epigramma ad I. Bernardum.

Carmen Latinum ad Bernardum Durandum Cabilonensem Patronum; *quod* habetur ante *Librum Priuilegiorum Ciuitatis Cabilonensis*.

Psalmos Pænitentiales, Carmine Latino reddidit.

Carmina alia varia; quæ penes Clarissimum Auctorem MSS. asseruantur, vt didici à *Ioanne Baptista Lantino* filio, Senatore Diuionensi, Viro de Republica literaria optimè merito, qui è Græco in Latinum vertit.

O

Leonardi Aretini Historiam Florentiæ. Quam breui expectamus in lucem, cum *Aretini operibus* studio eruditissimi Viri *Philiberti de la Mare*, Senatoris Diuionensis.

Viuit noster Senator amplissimus Diuione, hoc anno redemptionis humanæ MDCLI. vtinam ad multos annos.

Iacobus Guijonius, Augustodunensis, Poëta celebris *nostro Lantino* inscripsit *Tumulum* Benigni Hocquidani Senatoris Diuionensis, qui asseruatur. MS. in Bibliotheca Illustriss. V. *Philiberti De La Mare* Senatoris quoque Diuionensis. De *Ioanne Baptista Lantino* Petrus Palliot Typographus Diuionensis *in Parlamento Burgundiæ.*

IOANNES BERNARD *Prætor*,

Diuione, Vrbe Burgundionum nunc primariâ anno Domini MDLXXVI. die...... Iouis, mensis Ianuarii, *Stephano* Senatore patre, matre verò *Margaritâ Paradinâ* Ioannis Paradini Francisci I. Regis Christianissimi Archiatri filiâ vnicâ natus, Ven. *Claudij Bernardi* Presbyteri vitæ sanctimoniâ celebrimi Frater natu maior. Cùm puer mirâ eluceret indole, & ad maxima quæque aptus videretur, à clarissimis parentibus maturè studiis admouetur. Literas in primis humaniores & philosophicas in patria à Patribus Societatis Iesu didicit: deindè Tolosam profectus Iurisprudentiæ operam, magno cum fructu, nauauit sub *Raymundo Marando* Iuris Professore in Academia Tolosana tunc temporis apprimè docto ac diserto Viro. Deindè Cabilonem reuersus, vxorem duxit præclarissimam nempè *Ioannam de Pontoux* Cabilonensem, è qua sexdecim liberos, octo filios, totidemque filias suscepit. Sed cùm naturæ propensione ad studia raperetur, perlustratis plerisque Italiæ vrbibus, Romam contendit, anno Domini MDCVI. vbi ex Eminentissimorum S. R. E. Cardinalium *Francisci de Ioyeuse* & *Armandi Ioannis Plessæi Richelæi* tunc Episcopi Lucionensis, posteà Cardinalis summi nostro æuo

nominis, familiaritate vsus est. Neapolitanum quoque regnũ inuisit. *Stephano Bernardo* patre anno gratiæ MDCIX. mortuo, Prætoris Cabilonensis officio functus est, cùm anteà ei delegatus fuisset, quo in officio magna cum probitate, vsque in hunc annum MDCLI. se gessit, demùm Comes Consistorialis, ac Vicecomes Cabilonensis. Vir sanè morum integritate, animi generositate, ac ingenii atque eruditionis famâ percelebris, bonarum literarum, præsertim artis Poëticæ amantissimus; sed suprà quàm dici potest in difficillimo carmine Numerali seu Chronologico versatissimus. Edidit Gallico & Latino sermone,

De Fortunatis Ludouici Deodati XIV. *Francorum & Nauarræ Regis Christianissimi Natalitiis Disticha Chronographica seu Numeralia*. Parisiis, apud Ioannem de la Caille, Typographum Regium. 1650. in 4.

Orationes varias Gallicas, ad Ludouicum XIII. Francorum & Nauarræ Regem Christianissimum, Mariam Medicæam & Annam Austriacam Reginas, ac ad alios Magnates.

Carmina Latina & *Gallica in insigniis familiæ Bernardorum*.

Distichon Chronologicon, quod legitur supra ianuam sacelli B. V. Mariæ de Pietate Cabilonensis in Ecclesia Cathedrali Sancti Vincentii, *aureis literis*.

Eiusdem Carmen de surdo & muto sanato, legitur ibidem, *aureis literis*.

Eiusdem Distichon Numerale in obitum R. P. *Claudij Bernardi* charissimi Fratris.

Eiusdem Distichon in Solem aureum S. *Eustathij Parisiensis*, quod legitur *sculptum* supra eundem solem.

Distichon Numerale in obitum *Cæsaris Augusti Bellogardij*, Baronis Termensis, magni Franciæ Hyppiarchi &c. in obsidione Cleracensi demortui.

Carmina in obitum *Antonij du Blé*, Toparchæ Vxellensis, Proregis Cabilonensis.

Disticha nonnulla in quendam Patrem Fulliensem, Vitam S. Petri Apostoli, versibus Virgilianis, scribentem.

Carmina Latina in eundem Auctorem.

Eiusdem Carmina de Nihilo ad *Theophylum Cruceum*, Cabilonensem, Doctorem Medicum.

Versus Numerales restitutæ Massiliensibus libertatis anno MDXCVI.

Carmina Latina in Dialogum Politicum Cl. V. *Gabrielis Naudæi*, Parisini, Bibliothecæ Mazarinæ Præfecti.

Distichon Numerale in Orationem *Stephani Bernardi*, parentis, pro tertio Galliarum Ordine in Comitiis Blesensibus habitam.

Distichon Numerale in obitum *Baronis de Luz*.

Distichon Numerale in Natale *Ludouici XIII.* Francorum & Nauarræ Regis.

Carmina Latina in *Iobi Bouuoti* Opera Iuridica.

Epitaphium Latinum Stephani Bernardi, quod legitur in Ecclesia Patrum Minimorum Cabilonensium, *aureis literis*.

Distichon Numerale Chronologicum in Obitum *Stephani Bernardi*, supra tumbam lapideam *sculptum*.

Viuit anno à partu Virgineo MDCLI. Quapropter nobilissimi Viri de re literaria, ac de me etiam optimè meriti modestiam laudibus modò non onerabimus importunè, faxit Deus, vt eius dies, sint sicut dies cæli.

De *Ioanne Bernardo* Petrus Matthieu, Historiographus Regius, *in Historia Henrici IV.* R. P. Hilarion de Coste, *in Historia Catholica*, & *Elogijs Delphinorum*, Claudius Robertus, *in Gallia Christiana*, *in Catalogo Archiepiscoporum Rothomagensium*, *in Francisco de Ioyeuse*; *& in Catalogo Præsulū Cabilonensium*. Nicolaus Carolus Sanmarthanus Scæuolæ secundi Filius, *in Historia Ecclesiastica Cabilonensi*, P. Ludouicus Caualli, Bononiensis, Gallus, Franciscanus, *in Ianua Musarum reserata*, pag. 1057. Iob Bouuotus, *Tomo 1. Quæstionum notabilium Iuris*, Ioannes Baptista Lantinus, Senator Diuionensis, *Epigramma Latinum* in laudem I. *Bernardi* cecinit.

IACOBVS DENVCHEZES DES FRANS. *Episcopus.*

NObilissimis natus parentibus circa annum salutis MDXCII. patre Pictauino, matre verò Burgundâ, *Andreæ Fremiot* Archiepiscopi, Primatis & Patriarchæ Bituricensis nepos, ac *Claudij Roberti*, Lingonensis Presbyteri, Canonici, maioris Archidiaconi ac Vicarii Generalis Cabilonensis discipulus, Doctor Theologus Bituricensis ac eiusdem Academiæ & Ecclesiæ Cancellarius, nec non Vicarius Generalis, deinde Abbas Varennarum Ordinis Cisterciensis, diœcesis Bituricensis, S. Stephani Diuionensis olim Ordinis S. Benedicti, nunc sæcularis, diœcesis Lingonensis & Ferrariensis, Ordinis Benedictini, diœcesis Senonensis, ac Prior Nantuæ Ordinis etiam Benedictini, diœcesis Lugdunensis, & Decanus S. Dionysii, Nogenti Rotrodi, Congregationis Cluniacensis, diœcesis Carnotensis, postea Episcopus Cabilonensis ac Comes Consistorialis, interfuit Comitiis generalibus Lutetiæ MDCXXV. & MDCXLV. Cleri Gallicani habitis, atque non semel Prouinciæ Burgundiæ, in quibus Virum candoris & ingenii dotibus ornatissimum se præbuit. Præsul sanè in quo nihil nobilitatis, scientiæ suauitatis, nihilque dignitatis facilè desiderare possunt nostri Conciues Cabilonenses, hinc bonis tantisque Pontificibus antecessoribus dignus acclamatur, spectatúrque ab omnibus. Sed nunc ad Illustrissimi nostri Episcopi literaria monimenta, quæ communia fecit posteritati, veniamus. Scripsit Gallico idiomate,

Orationem, quam habuit Biturigibus in funere Generosissimi D. D. *Francisci dela Grange de Montigny*, Franciæ Mareschali, in Ecclesia Metropolitana anno MDCXVII. die XXIV. Decembris. Prodiit Biturigis 1618.

Orationem ad Ludouicum XIII. Regem Christianissimum Cabilone anno Christi MDCXXIX. ingredientem. Legitur

in *Gallia Christiana* Claudii Roberti propediem pro editione secunda, *edenda*.

Orationem ad Henricum Borbonium Principem Condęum, Burgundiæ Proregem etiam Cabilone solemniter ingredientem anno MDCXXXII. mense Decembri. Extat Ibid.

Orationem ad Ludouicum XIV. Regem Christianissimum & Annam Austriacam Reginam Regentem Diuione, nomine trium statuum Prouinciæ Burgundiæ anno gratiæ MDCL. habita, omnium iudicio, luce *dignam*.

Viuit adhuc noster Præsul & Comes Cabilonensis, eiusque exaggeratas virtutes præclariori calamo forsitan retulerit non inuidiosa prosteritas, quandò nos adhuc viuentis insignis modestia deterrere videtur, quominus in eius laudibus longiùs progrediamur MDCLI.

De *Iacobo Nuchezio* Illustrissimus ac Reuerendissimus Henricus de Maupas du Tour, Episcopus & Comes Podiensis, *in Vita Ioannæ Franciscæ Fremiot, Congregationis Visitationis B. V. Mariæ Fundatricis & Antistitæ*. Claudius Robertus, *in Gallia Christiana* & *in Operis Epistola dedicatoria*, Guillelmus Bernardon Decanus Cabilonensis in *Epistola dedicatoria, Tractatus de Curatorum Concursu & Residentia*, Bartholomæus Quarrè, Vicarius perpetuus S. Michaelis Diuionensis, *in illa Discursuum Spiritualium ad Infirmos & defunctorum parentes consolandum*, Iacobus Seuertius, Ecclesiastes Lugdunensis, *in Chronologia Episcoporum Cabilonensium*, Louuanus Geliot, Diuionensis, *in Indice Armoriali*, Petrus Briseion, Caluomōtanus ex Iesuita Mathurinus, *in Oratione Funebri pro Ioannæ Francisca Fremiot anniuersario Cabilone apud Moniales Visitationis celebrato*, Stephanus Richer, *Tomo* XIV. *Mercurij Gallici, anno* MDCXXIX. Nicolaus Carolus Sanmarthanus Regis Eleemosynarius, *in Historia Ecclesiastica Cabilonensi*, quam instante dignissimo nostro Antistite, ad vmbilicum perduxit; quæ, Deo dante, breui in lucem sub eius auspiciis, prodibit. Claudius Perry, Cabilonensis, Societatis Iesu, *in Odem Pindaricam de Bibliothecæ commendatione Cl. V. Ioannis Christophori Vtreij*, *Cabilonensis* &c. Samuel Guichenon, Matisconensis, patronus Burgensis, *in sua pereruditα historia*.

Sebusiana, Ioannes Vigner, Burgundus S. I. aliàs Collegii Cabilonensis Rector, nostro Antistiti *suum pereruditum Tractatum de Attributis Deiparæ*, Lugduni 1650. Gallicè in 4. *editum* dicauit. Ego etiam *in Bibliotheca Historiographorum Franciæ*, quam, Deo dante, aliquandiu in lucem dabimus.

CLAVDIVS BVRGAT *Decanus*,

CAbilonensis, præclarâ ortus prosapiâ, V. I. Licentiatus, ex Canonico Ecclesiæ Cathedralis S. Vincentij Archidiaconus Trenorchiensis, deinde Cantor & Prior S. Crucis, posteà Decanus, post *Guilhelmi Bernardoni* obitum, anno Domini MDCXXVIII. Die VII. Septembris electus, nec non Cleri Cabilonensis in Comitijs prouinciæ Diuione celebratis Syndicus. Vir (*teste doctissimo Claudio Roberto*) acri ingenio, memoriâ tenaci, rerum Ecclesiasticarum & secularium cognitione, vsu & experientiâ clarus. Edidit Gallico sermone.

Orationem, quam habuit nomine Cleri Cabilonensis.

Viuit hoc anno Christi nati MDCLI. Cùm adhuc sit superstes, aliis encomiis non onerabimus.

De *Claudii Burgati Decani Cabilonensis* laudibus, lege, si lubet, Claudium Robertum, *in Catalogo Decanorum Ecclesiæ S. Vincentij Cabilonensis*, & Nicolaum Carolum Sanmarthanum, *in Historia Ecclesiastica Cabilonensi manuscripta*.

IOANNES BAPTISTA BEVVERAND *Prætor Cancellariæ*.

NAtus Cabilone, præclaris parentibus Ioanne Baptistâ patre, matre verò Ioannâ de Thesut, Ludouici de Thesut filiâ, Dominus de la Loyere &c. Prætor in Præfectura Cancellariæ Cabilonensis ac Maior Vrbis. Vir de pa-

tria benemeritus, integritate, sapientiâ & literis conspicuus. Edidit Gallicâ linguâ,

Orationem, quam dixit nomine Iustitiæ Cabilonensis. Legitur *edita* simul cum *illis* Claudii Burgati Decani Cabilonensis, & Bartholomæi Magnentii Maioris Vrbis, in 8.

Viuit Cabilone anno Incarnationis Dominicæ MDCLI. inter Iustitiæ cultores celeberrimus.

BARTHOLOMÆVS MAGNIEN. *Maior Vrbis*,

GVilielmi Iurisconsulti eruditi Filius, Cabilonensis, I. C. & bis Maior Vrbis. Vir animi candore, morum suauitate & literarum cognitione insignis. Interfuit Comitiis generalibus Prouinciæ Diuione anno Christi MDCL. coràm Rege Christianissimo Ludouico XIV. Adeodato & Annâ Austriacâ Reginâ matre regnante, habitis. Scripsit Gallico idiomate,

Orationes nonnullas ad Magnates *dictas*, quarum *vna* legitur *edita* in 8. dùm Maior Vrbis esset.

Viuit magno in honore inter suos conciues Cabilonenses anno gratiæ MDCLI. dùm hæc scribimus.

PETRVS DHOGES *Maior Vrbis*,

CAbilone Ambarrorum * vrbe primariâ illustribus natus parentibus, mirabilis ingenii adolescens excolendis ingenuis artibus, maximéque variis scientiis aptus, Iuris scientiæ operam dedit Tolosæ sub Doctoribus Professoribúsque celeberrimis. Deindè in patriam reuersus, Aduocatus Senatus Burgundiæ ac Consiliarius Regius & venationũ in Burgundia Capitaneus, atque syluarum Regis præfectus post Clarissimi parentis obitũ, factus. Vir eximiis naturæ dotibus, cui multiplex eruditio, morum suauitas & singularis

singularis probitas insignem contulerunt famam. Tantâ pollet auctoritate apud suos NOBILES conciues, vt annis MDCL. & MDCLI. die XXIV. Iunii Maior ciuitatis Cabilonensis, omnium consensu, acclamatus est. Cùm sit literarum fautor nobilissimus, artem Typographicam planè diuinam hoc anno MDCLI. in ciuitatem Cabilonensem introduxit, nec non eius adhortatione incipit Historiam Cabilonensem tàm Ecclesiasticam quàm Ciuilem R. P. *Claudius Perry*, Cabilonensis, Societatis Iesu, vir sanè tali labore dignus. Extat sanè noster DHOGHEVS in pangendis carminibus Latinis peritissimus & elegantissimus, atque in vtráque Historia & arte oratoriâ egregiè versatus, vt facilè patet ex iis, quæ in lucem emisit. Scripsit enim terso & polito stylo Latino & Gallico,

Discursum funebrem in Obitum Amplissimi Viri N. de Clari, Senatus Tolosani Principis. Prodiit Tolosæ circa annum 1617. Gallicè.

Elogium Cæsaris Augusti Bellogardi, Baronis Termensis, Magni Franciæ Hyparchi, Vtriusque Ordinis Regii Equitis in obsidione Clericacensi demortui. Diuione, 1621. in 4. Gallicè.

In Grandia Serenissimi Principis ac Ducis d'Anguien, gesta, Epigrammatum versuúmq; numeralium, Libellum. Accesserunt & *alia Opuscula*. Diuione, apud Petrum Palliot, Typographum & Calcographum Regium. 1646. in 4. Latinè.

Epigrammata & *Epistolas responsiuas ad quasdam Ouidij Epistolas*, versibus Elegiacis. MSS. penes Clarissimum Auctorem, Latinè.

Carmina prætereà *Gallica varia* quorundam nostrâ ætate politissimorum Poëtarum Gallorum in sermonem Latinum elegantissimum vertit, quæ penes Auctorem, cósque ac præsertim *Petrum Bordelotium*, Senonensem, Doctorem Medicum Parisiensem literatissimum, asseruantur MSS.

Plura, Deo dante, ab eius præclaro ingenio sunt *expectanda*.

Viuit hoc anno redemptionis humanæ MDCLI. Cuius sanè modestia haud sinit nos in suis laudibus longiùs progredi.

P.

De *Petri Dhoges* scriptis Bibliographia nostra Gallica Vniuersalis *anni*, MDCXLVI. ac Bibliotheca nostra etiam *Bibliographorum Francorum*.

* Ambarri, sunt populi Cabilonenses, vt testatur AVGVSTISSIMVS REX NOSTER LVDOVICVS XIV. ADEODATVS *in sua eleganti Traductione Gallica commentariorum Cæsaris de bello Heluetico*, è Typographia Regia MDCLI. in folio *edita*; quod idem probat Nicolaus Samson, Abbauillæus, Geographorum nostro æuo doctissimus, *in Notis ad Cæsaris commentaria.*

IOANNES MORELLVS *Medicus*,

PAtriâ Cabilonensis, natione Burgundus, claris ortus parentibus, *Antonio Morello* Medico erudito patre, matre verò *Antoniâ Blondeau*, circa annum MDXCV. Doctor Medicus Monspeliensis. Hunc in adolescentiæ primis annis parentes Cabilone ad studia bonarum literarum educari curauerint. Deinde Diuionem profectus Rhetoricam sub Patribus S. I. didicit, Postea in patriam reuersus, Parisios profectus studiis rei Medicæ operam dedit sub eruditissimo Professore publico Magistro *Petro Segnyn* Reginæ Christianissimæ Medico primario & Regiorum Professorum decano. Tandem in prouinciam Occitaniam perrexit, & ad Academiam Monpesulanam se contulit, vbi Medicinæ studia ita prosecutus est, vt supremam in ea facultate lauream adeptus sit. Vir sanè de Republica literaria optimè meritus, linguis Græcis Latinisve peritus. Edidit Latinè ad Serenissimum *Henricum Borbonium* Principem Condæum & Burgundiæ Proregem.

De Febre purpurea Librum Lugduni, apud Ioannem Antonium Huguetan, 1642. in 8.

Carmina Latina in laudem *Gulielmi Bernardoni* Decani Cabilonensis, quæ leguntur ante *opus* dicti Bernardoni *de Indifferentia*, Parisijs *editum*.

Carmina alia Latina in Obitum *Ludouici Betaut*, Cabilonensis, Doctoris Medici, *quæ* appendit ad eius tumulum in Ecclesia Patrum Carmelitarum Regularis Obseruantiæ.

Viuit Cabilone anno post partum Virgineum MDCLI. Quapropter clarissimi Viri modestiam laudibus modò non onerabimus importunè.

De *Ioanne Morel* Iobus Bouuotus *Tomo primo Quæstionum notabilium Iuris*.

CLAVDIVS PERRY *Societatis Iesu*,

NAtus est Cabilone apud Ambarros *Petro Perry* & *Philibertà Penessot* parentibus, honestâ vtriúsque familiâ. Quorum cura à teneris annis ad bonarum literarum studia semper fuit nutritus. Ne optima eius indoles & præclaræ animi dotes defectu culturæ corrumperentur, & veterno perirent, humanioribus literis strenuam imprimis nauauit operam. Auidéque imbibit successu temporis non solùm omnes artes liberales, sed etiam Philosophiam ac Iurisprudentiam. Ex Aduocato tandem Canonicus Ecclesiæ collegiatæ S. Georgii in patria factus est; sed ad altiora meditans, Societatem Iesu ingressus est Nanceii anno Domini MDCXXVIII. Vir pietate & eruditione clarus, Poëta Latinus egregius, & nouus sanè nostrâ ętate Horatius. Nunc postpositis aliis studiis, se totum sacrarum scripturarum ac SS. Patrum lectioni & meditationi dedit. Scripsit hic politus carminum Latinorum artifex ad Serenissimum Augustissimúmque Principem Delphinum Galliæ, nunc Regem nostrum Ludouicum XIV. Carmine Latino eleganti,

Iconem Regis tribus Libris comprehensam, quibus res præclarè gestæ à Ludouico Iusto describuntur. Parisiis, apud Dauidem Rocard, 1642. in 12.

Porticum Eminentissimi Cardinalis Mazarini.

Vitam S. Eustasij secundi Abbatis Luxouiensis S. Columbani discipuli Gallicè, Metis, Typis Ioannis Antonii.

Theandrum, siue *Hebdomadam sanctam in septem dies distributam, in quibus Dialogismi ritu quicquid sublimius ac præclarius cùm ad Orationem, tùm ad contemplationem pertinet.* Opus ad vmbilicum perfectum, sed hactenùs ineditum.

De Bibliothecæ commendatione Clarissimi Viri *Ioannis Christophori Virey*, Cabilonensis, Magistri Cameræ Compurorum Burgundiæ, *Odam Pindaricam.* Incipit. *Nequicquam cytharæ fides* &c. Legi MS. beneficio Cl. V. *Iacobi Augusti Virey* Ioannis Christophori Filii præclari Musarum alumni.

De Magno martyre Sancto Mammete puero, insignis Ecclesiæ Lingonensis Patrono. Ad Illustrissimum & Reuerendissimum D. D. Sebastianum Zamet Episcopum Lingonensem Ducem ac Parem Franciæ, *Odem.* Lingonis, 1651. in 4. Typis, Ioannis Boudrot.

Panegyrim Illustrissimi Viri Amplissimique D. D. Petri Odeberr, Senatoris integerrimi in Libellorum Supplicum Ordine Præsidis, Ptochotrophii Diuionensis & Teologiæ Collegii Societatis Iesu Fundatoris munificentissimi. Diuione, apud Petrum Palliot &c. 1651. in folio.

In Bibliothecam Patrum Societatis Iesu Collegii Lugdunensis, *Odem.*

In Historiam Poëtarum Gallorum clarissimi Viri Guilielmi Collereti, Parisini, *Odem.*

Ad R. P. Ludouicum Iacob, Carmelitam Cabilonensem, Consiliarium & Eleemosynarium Ordinarium Regium, cùm libros *de Cabilonensibus claris Scriptoribus* ederet in lucem, *Odem.* Legitur in initio huius operis.

Historiam Cabilonensem Ecclesiasticam & Prophanam, diligenti & continuo labore, parat, adhortante Magistratu Cabilonense.

Alia, Deo dante, ab eius eleganti calamo expectantur. Floret anno à Christo Incarnato MDCLI. Quem adhuc

viuentem Conciuem nostrum charissimum promeritis laudibus haud onerabimus.

De *Claudio Perry* testimonium perhibet præclarum, Guilielmus Colleterus, Parisinus, Poëtarum nostro æuo celeberrimus, *in suo opere* hactenùs *inedito* de Vitis Poëtarum Gallorum, Ego etiam *in nostra Bibliotheca Historiographorum Franciæ* editioni *parata*.

GVILLELMVS GON *Officialis*,

NAtione Burgundus, patriâ Cabilonensis, præclaris natus parentibus, anno gratiæ M DC. die XXII. mensis Augusti, patre *N. Gon* Iurisconsulto erudito, matre verò *Antoniâ Blondeau*. Is prima bonarum literarum tyrocinia in Gymnasio Cabilonensi posuit.. Philosophicis tandem studiis peractis apud Patres Minimos, Parisios profectus, ibi Theologiæ sedulam nauauit operam sub optimis Præceptoribus, nempè *Nicolao Ysamberto*, Aurelianensi, *Andrea Duuallio*, Pontesiano, *Philippo Gamachæo*, Parisino, & *Petro Clerico* etiam Parisino Theologis toto orbe notissimis. Canonicus & Archidiaconus Ecclesiæ Cathedralis, Illustrissimique Præsulis Officialis necnon Consiliarius, Eleemosynarius ac Concinator Regius. Interfuit anno Domini M DCL. Comitiis generalibus Cleri Gallicani habitis. Denique cùm sit noster Clarissimus GONIVS vir ingenio, facundiâ & doctrinâ celebris. Edidit vulgari idiomate,

Discursum in Regis Christianissimi Ludouici XIII. obitum, Serenissimo Principi Condæo Henrico Borbonio Burgundiæ Proregi, *dicatum*. Lugduni, apud Ioannem Antonium Candy, 1643. in 8. *editum*.

Opuscula varia præ manibus habet *edenda*, vt ab ipso didici.

Epistolarum volumen MS.

Viuit anno reparationis humanæ MDCLI. Cùm adhuc sit superstes, vetat pudor aliis encomiis eum decorari.

De *Guilielmo Gonio* testimonia perhibent Claudius Robertus, *in Gallia Christiana* editioni secundæ *parata*, Nicolaus Carolus Sanmarthanus, Parisinus, *in Historia Ecclesiastica Cabilonensi* MS. Acta Comitiorum generalium Cleri Gallicani, annis MDCL. & MDCLI. habitorum, Theophrastus Renaudot, *in Collectione* Ephemeridum hebdomadarum, anni MDCL. sub nomine *Officialis Cabilonensis*, Ego etiam *in Bibliotheca Historiographorum Franciæ*, hactenùs *inedita*.

PHILIBERTVS BOVLIER *Canonicus*,

Diuionensis, præclaro ortus sanguine, Canonicus Ecclesiæ Cathedralis Sancti Vincentii Cabilonensis ac Sanctæ Capellæ Diuionensis. Vir suauissimis moribus clarus, pietate ac eruditione præstans. Edidit Gallico sermone :

Viri Christiani officium.

Notas Christianas & Historicas in sacrosanctam hostiam Diuionensem. Diuione, apud Petrum Palliot, 1646. in 8.

Examen huius propositionis: On estoit autresfois plus gens de bien que maintenant, & neanmoins l'on ne se confessoit ny communioit si souuent que maintenant. Ibidem, apud eundem, 1646. in 8.

Alia meditatur.

Viuit Diuione anno Incarnationis Dominicæ MDCLI.

De *Philiberto Bolerio Canonico Cabilonensi*, Claudius Robertus *in Gallia Christiana* secundæ editioni *paratà*, Nicolaus Carolus Sanmarthanus *in Historia Ecclesiastica Cabilonensi* MS. R. P. Petrus Guillebaud à S. Romualdo Fulliensium Historiographus *Tomo III. Thesauri Chronologici & Historici, anno* MDCXLVI.

PHILIPPVS GVIDE *Medicus*,

CAbilone Ambarrorum Vrbe primaria, hoc sæculo *Daniele* patre Ciue Cabilonensi, matre verò *Annâ Poin*, Belnensi, præclaris parentibus; sed proh dolor à religione nostra alienis; natus, *Philiberti Hegemonij*, seu, *Guidei* suprememorati nepos, studiis optimarum literarum ab adolescentia, in pàtriâ, tùm parentum voluntate, tùm suopte ingenio consecratus. Imbibitis igitur cultioribus & humanioribus disciplinis, Belnam missus, Philosophiam strenuè didicit. Deindè Montempesulanum profectus Medicinæ operam accuratè nauauit. Illic hanc admirabilem scientiam affatim hausit, nec ab iis studiis cessauit, donec Doctoratus gradum sit assecutus. Posteà in patriam reuersus, in purissimis Medicinæ fontibus, nempe Hippocrate & Galeno, omnia quæ sunt ab eis reiecta vel admissa, magno & infatigabili labore, ita colligit, vt de hac materia egregium opus meditetur. Vir omnis politioris literaturæ cognitione clarus, linguarum etiam Græcarum & Latinarum versatissimus. Scribit Latinè ad Medicinam illustrandam,

Examen omnium, quæ præter Hippocratis & Galeni mentem in vniuersa Medicina vel admissa vel reiecta sunt.

Carmina Latina & Gallica quamplurima.

Viuit apud suos Cabilonenses, magnâ cum Archiatri eruditissimi famâ, anno post Christi natiuitatem MDCLI.

NICOLAVS CANAT *Exconsul* olim *Primarius*,

IVrisconsultus Cabilonensis, Burgundus, Vir florentis ingenii & ob suauitatem conuersationis omnibus con-

ciuibus suis mirificè charus: Iuris scientiæ in paucis peritus. Edidit

Notas breues Gallicas in consuetudinem Burgundiæ. Quæ nunc sub prælo sunt cum *Notis* CC. VV. *Ioannis Baptistæ Agni Begati*, Præsidis Diuionensis eruditissimi, & *Ioannis Depringles*, Nuiziensis, Consiliarii Regii, & Procuratoris Generalis Cameræ Computorum Burgundiæ, magnæ eruditionis Viri, *in Consuetudinem Burgundiæ*. Lugduni, impensis Petri Cusset, Typographi Cabilonensis. 1651. in 4.

Viuit Cabilone anno Verbi Incarnati MDCLI. cuius adhuc viuentis præclaras animi dotes exaggerare præstabit, quàm tanti viri onerare modestiam.

GVILIELMVS LABOVQVET

Societatis Iesu,

CAbilonensis, adolescens in Societatem Iesu admissus est, in qua optimis disciplinis instructus, Rhetoricam Ebreduni & Burgi Sebusianorum, magno cum fructu, docuit. Vir sanè candoris & ingenii dotibus ornatissimus, pietate & doctrinâ celebris. Scripsit

Orationes Latinas nonnullas, hactenùs *ineditas*; quas penes se asseruat.

Opera varia ab eius eruditissimo calamo (Deo dante) auidiùs expectantur.

Floret hoc anno redemptionis humanæ MDCLI. cuius dies sint immortalitate digni.

De *Guilielmo Laboquetio* testimonium perhibet Pater Antonius Riuiere, Doctor Parisiensis, Prior & Vicarius Generalis Augustinianorum Pinarolensium, *In vltimis Actionibus & Verbis Amplissimi Viri Ioannis Iacobi de Barillon, Præsidis Senatus Parisiensis*, Pinarolii MDCXLV. die XXX. Augusti *demortui*.

DE

LVDOVICI IACOB
DE
CABILONENSIBVS CLARIS SCRIPTORIBVS.

LIBER SECVNDVS.

In Quo agitur de Scriptoribus, qui in Diœcesi & Præfecturâ Cabilonensi, nati sunt.

IOANNES FABRI *Episcopus*.

NATIONE Burgundus, prosapiâ nobilis, ex Monacho Trenorchiensi Diœcesis Cabilonensis Abbas Vedastinus Atrebatensis & Cancellarius Ludouici Andecauensis Siciliæ Regis, deindè Episcopus Carnotensis. Vir prudentiâ, animi candore, morum grauitate & multiplicis eruditionis famâ præclarus. Scripsit

Librum, quòd S. Petrus Romæ sit sub Nerone martyrio affectus.

De Schismate Ecclesiastico Tractatus aliquot.

Moritur Aucnione anno Incarnationis Dominicæ MCCCXC. sub Carolo VI. Francorum Rege Christianissimo.

De *Ioanne Fabro* Claudius Robertus, *in Gallia Christiana*, Sebastianus Rouillardus, Melodunensis, Aduocatus Parisiensis, *in Historia Carnotensi*, Bibliotheca Pontificia nostra, *Libro 2. pag. 362.*

Q

STEPHANVS PASQVIER *Philosophus*,

LAtinè PASCHASIVS, Gymnasiarcha Lohanensis, quæ Vrbs sita est in Diœcesi & Præfecturâ Cabilonensi. Philosophus sanè Moralis insignis, humanioribus literis, eloquentiâ, linguarum Græcarum Latinarúmve & liberalium artium cognitione instructissimus. Ex opusculis *Plutarchi Cheronæi* in Gallicum vertit,

Dialogum animalia bruta vti ratione demonstrantem. Lugduni, apud Ioannem de Tournes, 1546. in 8.

Tractatum de modo accipiendi vtilitatem ab inimicis. Ibidem, apud eundem,

De Modo conseruandi sanitatem, Dialogum alterum. Ibid. apud eund.

Dialogum, in quo demonstratur, an sit aliqua rationis potentia in Animalibus brutis, & quænam magis habent, an terrestria, vel aquatilia. Ibid. apud eund.

De Virtute & Vitio Commentariolum. Ibid. apud eund. 1546. in 8.

Floruit hic Paschasius Lohanii apud Ambarros, anno à Christi natiuitate MDXLVI.

De *Stephani Paschasij* scriptis testimonia perhibent Antonius Verderius, Dominus Vallispriuatæ *in Bibliotheca Gallica*, Georgius Draudius, Germanus, *in Bibliotheca Exotica*, Philibertus Marefchal, Gallus, *in Promptuario Literario Gallico*,

IOANNES PARADINVS *Medicus*,

NAtione Burgundus, patriâ Lohanensis apud Cabilonenses & Ambarros, *Guilielmi & Claudij Paradinorum* consanguineus, Francisci I. Francorum Regis Christianissimi literarum Parentis ac Restauratoris Archiater præstan-

tiſſimus. Vir qui fuit ſuapte natura diſciplinis deditus & ſtudiorum amator, in vtráque lingua impensè eruditus, pietate ac morum candore celebris, Poëta Gallus ſanè ſuâ ætate non iniucundus. Edidit ſuo vulgari idiomate,

Micropediam centum diſticha Fauſti Andrelini continentem. Lugduni, apud Ioannem de Tournes 1546. in 8. & Pariſiis apud Stephanum Groulleau, 1547. in 16.

De Morte & Peregrino Dialogum. Ibidem, apud eoſdem.

De Miſeria & temporis calamitate. Ibid. apud eoſd.

Epigrammata quædam. Ibid. apud eoſd.

De Amatore & Amatrice Diſcurſum vulgarem è Latino Henrici Bebelii *in Gallicum ſermonem* vertit. Ibid. apud eoſd.

Viuebat Diuione circa annum Domini MDLXXXVIII. Deceſſit tandem Octogenario maior in pago Bellæ nouæ prope Mirabellum. Iacet Diuione in Baſilica San-Michaelina.

De *Ioannis Paradini* ſcriptis, Franciſcus à Cruce-Cœnomana, cuius cognomen eſt Grudeus, *in Bibliotheca Gallica*, Antonius Verderius, *Ibid.* Georgius Draudius, *in Bibliotheca Exotica*, Philibertus Mareſchal, *in Promptuario Literario Gallico*, Guilielmus Colletetus, *in Vitis Poëtarum Gallorum.*

GVILIELMVS PARADINVS, *Hiſtoricus*,

BVrgundus natione, patria Cyuſellenſis, quæ Vrbs ſita eſt in Præfectura Cabilonenſi, *Claudij* Frater, & *Ioannis* Conſanguineus, Decanus Bellijocenſis. Vir omni literarum genere ac rerum cognitione exculti ſſimus, præſertim Hiſtoricus ſuâ ætate magni nominis, vt facilè comprobatur ex ſequenti Epigrammate *Claudij Roilleti*, Belnenſis Poëtæ egregij.

Qualis in historia Romana Crispus habetur,
Talis tu nostra scriptor in historia:
Clarior hoc tamen es, quòd casta vt pagina, vita
Casta est, quæ Crispo lubrica tota fuit.
Iam facis hoc scriptis, vt auis atauísque quod olim
Est visum nobis, desinat esse cinis:
Vt nostri videant maiorum facta nepotes,
Et repetant generis Stemmata prima sui.
Tam doctè vt scribis, quid PARADINVS *haberi*
Nomine vis iam non conueniente tibi?
Si quod blæsa hominum mutauit lingua nitori
Et famæ tentes restituisse suæ.
Paucis mutatis, quò te natura vocauit
Et doctrina, tibi è Pallade nomen erit.

Tandem in hoc celeberrimo Viro nec virtus erat inferior doctrinâ, tàm moribus pius, quâm eloquio facundus & scientiâ profundus, Theologus, Philosophus & Poëta celebris. Scripsit vtráque linguâ quamplurima opera Reipublicæ literariæ vtilia, nempè

De Antiquo Statu Burgundiæ Librum. Lugduni, apud Stephanum Doletum, 1542. in 4. Latinè; & Basileæ, apud Ioannem Oporinum 1550.

De Rebus in Belgio gestis anno MDCXLIII. Parisiis, apud Viuantium Gautherot 1544. in 8. Latinè; sed Gallicè reddidit P. H. G. forsan *Philibertus Hegemonius Guide.*

Chronicon Sabaudiæ. Lugduni, apud Ioannem de Tournes, 1552. in 4. Gallicè, & 1602. in folio cum *Continuatione.*

Afflictæ Britannicæ religionis ac denuò restitutæ Exegema: Lugduni, apud Ioannem Tornæsium, 1555. in 8. Latinè.

Historiam Franciæ à Francisci Primi coronatione, vsque ad annum MDL. Parisiis, apud Ioannem Caueiller, 1556. in 16. Latinè & Gallicè.

De Motibus Galliæ & expugnato Itio Caletorum Commentarium. Lugduni, 1558. in 4. Latinè.

Historiarum memorabilium ex Genesi descriptionem tetrastichis versibus. Lugduni, apud Ioannem Tornæsium, 1558. in 8. Latinè

Historiam nostri Temporis. Lugduni, apud eundem, 1558. in 12.

Annales Burgundiæ. Lugduni, apud Ioannem Tornæsium, 1566. in folio, Gallicè. Hos Annales confecit ex memorialibus Cl. V. N. Preuost, Prætoris Diuionensis, Viri historiæ suæ gentis peritissimi,

De Concordia publica Tractatum. Bellijoci, apud Iustinianum & Philippum Garils, 1566. in 8. Gallicè

De Choreis Tractatum. Ibid. apud eosdem, 1566. in 8. Gallicè

Historiam Lugdunensem in tres Libros distinctam. Vnà cum antiquis inscriptionibus, tumulis & epitaphiis, quæ diuersis in locis eiusdem vrbis reperiuntur. Lugduni, apud Antonium Gryphium, 1573. in folio, Gallicè.

Continuationem historiæ nostri temporis. Parisiis, apud Guilielmum dela Noue, 1575. in 8. Gallicè.

Epigrammata Latina. Quibus accessit Francorum Regum Series. Lugduni, apud Antonium Gryphium, 1581. in 4.

Historiam Ecclesiæ Gallicanæ. Gallicè,

Memorialia insignium Franciæ familiarum, Gallicè.

E Latino *Ioannis Ludouici Viuis & aliorum* in Gallicum vertit.

De vero sapientiæ diuinæ amore Tractatum. Lugduni, apud Mauritium Roy & Ludouicum Pesnot, 1550. in 8.

Methodum vel *Breuem introductionem ad cognitionem veræ & solidæ Medicinæ perueniendam* à Leonhardo Fuchsio *Latinè conscriptam.* Lugduni, apud Ioannem de Tournes, 1552. in 16.

Historiam Aristeæ de legis Mosaicæ translatione primò Græcè *scriptam, posteà in Latinum* à Mathia Palmerio, *deindè in Gallicum* à Paradino *versam.* Lugduni, apud Claudium Senneton, 1564. in 4.

Duos primos Libros Historiæ Procopii Cæsariensis *de Bello Gothorum in Italia aduersùs* magnum Iustinianum Imperatorem *facto.* Lugduni, apud Benedictum Rigaud, 1578. in 8.

Floruit PARADINVS, anno ab Incarnatione Domini MDLXXXI.

De *Guilielmi Paradini* scriptis, Cæsar Baronius Cardinalis, *in Annalibus Ecclesiasticis, anno* 1177. Conradus Gesnerus, *in Bibliotheca*, Antonius Verderius, *in Gallica*, Franciscus Grudeus à Cruce Cœnomana, *Ibid.* Georgius Draudius, *Ibid.* Ioannes Clessius, *Ibid.* Paulus Bolduanus, *in Historica*, Andreas du Chesne, *Ibid.* Ioannes Molanus, *in Bibliotheca materiarum*, Antonius Posseuinus, *in Apparatu Sacro*, Philibertus Mareschallus, *in Promptuario Literario Gallico*, Claudius de Rubys, *in Historia Lugdunensi*, Iacobus Foderé, Franciscanus, *in Descriptione Prouinciæ S. Bonauenturæ*, Claudius Robertus, *in Gallia Christiana*, Iacobus Seuertius, *in Chronologia Archiepiscoporum Lugdunensium*, Ludouicus & Scæuola Sanmarthiani, *in Historia Genealogica domus Franciæ*. Petrus Monodus S. I. *in Disquisitione Historica de regijs coniunctionibus Sabaudiæ & Galliæ*; & *in Apologia pro Serenissimis Sabaudiæ Principibus contra famosum Anonymi libellum*, Ioannes Petrus Camus, Episcopus Bellicensis, *in Vita Patris Claudij Bernardi Presbyteri*, R. P. Hilarion Costeus, *in Elogiis Delphinorum*, Franciscus Belleforestus, *in Annalibus Franciæ*; Petrus Saniulianus, Decanus Cabilonensis, *in Miscellaneis Historicis*, Robertus Constantinus, *in Nomenclatore Insignium Auctorum*, Wolphangus Hungerus, *pag. mihi 172.* Ioannes Guenebaldus, Medicus Diuionensis, *in Chyndonace*, Stephanus Ladoneus, Heduus, *in Antiquitatibus Augustodunensibus*, Samuel Guichenonus, *in Chronologia Episcoporum Bellicensium*, Chrysostomus Henriques Ordinis Cisterciensis, *in Menologio sui Ordinis ad diem 21. Martij*, Antonius de Ruffi, Senator Massiliensis eruditissimus, *in Historia Massiliensi*, Mattheus de Goussancourt, Parisinus, Ordinis Celestinorum, *in Martyrologio Equitum Melitensium*, Ioseph dela Pise, *in Historia Principum Arausicanorum*, Ego etiam, *in Bibliotheca Historiographorum Franciæ*, Ioannes de Launoy, Doctor Parisiensis, *De Vera causa secessus S. Brunonis in eremum*.

CLAVDIVS PARADINVS *Philologus.*

G*Vilielmi* frater, Cuysellensis in Præfectura Cabilonensi apud Ambarros, Canonicus Bellijocensis. Vir ingenio, studio, moribus, probitate ac eruditione valdè clarus, cuius sanè meritis nulla laus vnquam sufficiet. Cùm esset præclarum Musarum delicium, & in omnibus artibus liberalibus versatissimus, edidit Gallico idiomate,

Carmina Historica Bibliæ. Lugduni, apud Ioannem de Tournes, 1553. in 8.

Fœdera Genealogica Regum & Principum Galliæ. Lugduni, apud Ioannem de Tournes, 1561. in fol. Geneuæ, siue Aureliæ Allobrogum, apud Ioannem de Tournes, 1606. in folio & 1636. in folio,

Symbola Heroïca: Lugduni, apud Ioannem de Tournes, 1557. in 16. Duaci, 1563. Antuerpiæ, apud Christophorum Plantinum, Tipographum Regium, 1562. & 1583. in 16. Lugduni Batauorum, apud Raphaelengium, 1610. in 16. Latinè & Parisiis, apud Robertum Boutonnè, 1622. in 8.

Alia sunt mihi in obscuro,

Viuebat noster eruditissimus Paradinus anno à Christo incarnato MDLXI.

De *Claudij Paradini* scriptis, Conradus Gesnerus, Tigurinus Medicus, *in Bibliotheca Vniuersali*, Franciscus Grudeus à Cruce-Cœnomana, *in Bibliotheca Gallica*, Antonius du Verdier, *Ibidem*, Georgius Draudius, *in Bibliotheca Exotica*, Ioannes Clessius, *in Bibliotheca, Classica*, Paulus Bolduanus, *in Bibliotheca Historica & Philosophica*, Andreas Duchenius, Turonensis, Historiographus & Geographus Regius, *in Bibliotheca Historiographorum Franciæ*, Iacobus Seuertius, *in Chronologia Archipræsulū Lugdunensium*, Philibertus Mareschallus, Gallus, *in Promptuario literario Gallico*, Louanus Geliot, Diuionensis in Senatu Burgundiæ celeberrimus causarum patronus, *in Indice Armoriali*, P. Marcellinus

de Pise, Matisconensis, Ordinis Capucinorum Theologus & Concionator, *in Encyclopædia Morali*. Matthæus de Goussancourt, *in Martyrologio Equitum Melitensium*. Ego etiam *in Bibliotheca Historiographorum Franciæ*.

TRAIANVS PARADINVS.

Burgundus, ni fallor, & è præclara *Paradinorum* prosapiâ oriundus, Illustrissimæ ac Reuerendissimæ Abbatissæ Santonensis Secretarius. Vir eruditione & linguarum Latinarum, Italicarum & Gallicarum politissimus, ex Italico in Gallicum transtulit

Dialogum Octauum Antonii Bruccioli *de Officio Ducis exercituum*. Pictauis, apud Ioannem Marnesium, 1551.

Quid aliud scripserit hactenùs nihil habeo explorati. Floruit anno post Aduentum Messiæ MDLI.

De *Traiani Paradini* scriptis, Franciscus Grudè de la Croix du Maine, *in Bibliotheca Gallica*, Antonius du Verdier, *Ibid.* Georgius Draudius, *in Bibliotheca Exotica*, Ioannes Clessius, *in Bibliotheca Classica*.

FRANCISCVS BOVSSVET.
Medicus,

Natione Burgundus, patriâ Seuregianus (Seureum oppidum, aliquandiù Bellagarda, nuncupatum, extat in diœcesi Vesuntionensi & Præfecturâ Cabilonensi) Doctor Medicus. Is à teneris annis liberaliter educatus, & à parentibus optimarum artium studiis quodammodò consecratus fuit, in quibus, toto vitæ cursu, diligenter perseuerauit. Fuit enim Medicus præclarus & Poëta insignis, vt testes sunt eius Lucubrationes, quas scripsit & in lucem emisit. Scripsit igitur,

In Icones & Piscium historiam Guilielmi Rondeletii, *Montispessulani, Doctoris Medici eruditissimi* Carmina. Lugduni, apud Matthiam Bonhomme, 1558. in 4.

De Arte medendi Libros XII. *Carmine Scriptos.* Lugduni, apud eundem 1557. in 8. *editos* & Henrico II. Regi Christianissimo *dicatos*,

Elegiarum Libros IX. MSS. Diuione in Bibliotheca Illustrissimi Viri *Ioannis de Souuert*, Senatoris Diuionensis.

Epigrammatum Libros V. MSS. Ib. apud eundem.

De Samsonis gestis Librum vnum MS. Ibid. apud eundem.

Obiit Trenorchii in territorio Cabilonensi, anno Christi nati MDLXXII. VI. Kalendas Iulias, ætatis suæ LII. intra sextum diem febri sublatus, cùm anteà magnam bonorum suorum partem Nosocomio Trenorchiano reliquisset.

De *Francisci Boussueti* scriptis Conradus Gesnerus, Medicus Tigurinus, *in Bibliotheca Vniuersali*, Israël Spachius, *in Bibliotheca Medica*, Elias Ehingerus, Augustanæ Bibliothecæ Præfectus, *in Catalogo Bibliothecæ amplissimæ Augustanæ*, Ioannes Antonides Vander-Lynden, *de Medicis Scriptoribus*.

CLAVDIVS SANIVLIANVS BALEVRREVS,

IN territorio Cabilonensi natus. Vir illustri prosapiâ, armis & literis clarus, *Petri Sanjuliani* Decani Cabilonensis affinis. Scripsit

Opera nonnulla, vt testatur Franciscus Grudeus à Cruce-Cœnomana, *in Bibliotheca Gallica*.

Coronam Margariticam Ioannis *Le Maire* edi curauit, cui *Epistolam nuncupatoriam* præfixit *editioni Lugdunensi*.

Sed quid aliud noster *Sanjulianus* gesserit aut scripserit, aut quo tempore claruerit, nihil hactenùs habeo comperti.

CLAVDIVS DE MONTIOVRNAL,

DOminus de Sindrey & du Thil apud Cabilonenses. Vir nobilitate, ingenio & eruditione conspicuus, interfuit Comitiis Blesensibus anno 1588. Scripsit

Annotationes in Historiam Philippi Cominaei.

Discursum de felici reditu Polonico Henrici Tertij Regis. Lugduni, apud Michaelem Iouium, 1574.

Alia me latent,

Viuebat anno Incarnationis Dominicae MDLXXXVIII.

De *Claudio Montjornalio* Petrus Sanjulianus *in Antiquitatibus Matisconensibus* pag. 358. & *in Miscellaneis Historicis* pag. 157. Georgius Draudius, *in Bibliotheca Exotica*, Antonius Verderius *in Bibliotheca Gallica*, Petrus Matthieu *lib. 8. historiae Henrici III.*

CLAVDIVS GRIVEL,

BVrgundus, patriâ Virdunensis ad Ararim, quae Vrbs sita est in Dioecesi & Praefectura Cabilonensi; tertio lapide ab Vrbe Cabilonensi distans, Vir optimi ingenij & praeclarae literaturae. E Latino *Leonardi Aretini* Viri vndequaque doctissimi in Gallicum idioma vertit,

Dialogum virtutum moralium; cum virtutibus additis per figuras & exempla eorum, qui in eis versati sunt. Vnà cum quibusdam sententijs & responsionibus facetis quorundam Philosophorum, ac etiam Annotationibus ad marginem. Parisiis, apud Petrum Sergent, in 8.

De Regimine sanitatis Tractatum à Petro Tuxigano Doctore Medico Latinè *compositum*, Parisiis ac alibi *editum.*

De *Claudij Griuelij* scriptis Franciscus Grudeus à Cruce-Coenomana *in Bibliotheca Gallica*, Antonius Verderius *Ibid.*

Georgius Draudius *in Bibliotheca Exotica*, Philibertus Mareschallus *in Promptuario Literario Gallico*,

CLAVDIVS GALLANT,

TRenorchiensis, Vrbs in Territorio Cabilonensi quinto lapide distans & sita; Vir eruditus & probus,

Opera quædam, ex Francisco Grudeo à Cruce-Cænomana *in Bibliotheca Gallica*, *scripsit*.

De *Claudio Gallantio* nihil penitùs aliud habeo.

IACOBVS GIRARDVS *Iurisconsultus*,

TRenorchiensis, seu, Tornusianus, apud Cabilonenses, Iurisconsultus præclarus. Vir de Republica literaria benè meritus, & dignus eruditissimis sui sæculi accenseri: E Latino *Rogeri Bacconi* Angli, Franciscani, Doctoris Theologi Oxoniensis cognomento *Mirabilis*, in Gallicum transtulit,

De potestate mirabili artis & naturæ Librum, in quo tractatur *de lapide Philosophico*. Lugduni, 1558.

De Eleemosyna Tractatum Ioannis Ludouici Viuis *in duos libros distinctum*. Lugduni, apud Ioannem Stratium, 1583. in 8.

De naturæ mirabilibus Tractatum Italicum Claudii Celestini; in quo tractatur *de sensuum erroribus*, *potentijs animæ*, & *cælorum influentiis*. Lugduni, apud Maceum Bonhomme, 1557. in 8.

Scripsit prætereà proprio marte,

Titulos totius Cæsarei Iuris & Pontificij per tabulas, iuxta literarum ordinem seiunctim digessit, Lectionumque varietatibus, & Scholijs illustrauit: è regione positis Librorum indicibus ac numeris, cum eorundem tum ipsorum quoque titulorum : inscripsit autem

Librum, Anchoram *titulorum vtriusque Iuris.* Lugduni, 1551.

Viuebat anno à natiuitate Christi MDLXXXIII.

De *Iacobo Girardo Trenorchiano* Conradus Gesnerus, *in Bibliotheca Vniuersali*, Antonius Verderius, *in Bibliotheca Gallica*, Franciscus à Gruce Cœnomana, *Ibid.* Georgius Draudius, Germanus, *in Bibliotheca Classica*, Ioannes Clessius, Germanus, *Ibid.* Antonius Posseuinus, Mantuanus, S. I. *in Apparatu Sacro*, Elias Ehingerus, Augustanus, *in Catalogo Bibliothecæ amplissimæ Augustanæ*, Philibertus Mareschalus, *in Promptuario Literario Gallico.*

PETRVS TAMISIER *Præses*,

NAtione Burgundus, patriâ Trenorchianus in territorio Cabilonensi claris ortus parentibus, ex Aduocato Præses Cameræ electionis apud Matisconenses. Vir multiplicis eruditionis titulo & singularis probitatis nomine conspicuus, Poëta eruditus & facundus. Edidit Carmine Gallico.

Preces Christianas & Catholicas. Lugduni, apud Benedictum Rigaud, 1586. in 16.

Carmina ad Iacobum Molan Aduocatum Matisconensem. *Quæ* legi ante *opus* dicti Molani *aduersùs Astrologos.* Item.

Carmina Gallica ad Petrum Sanjulianum Baleurreum Decanum Cabilonensem. *Quæ* habentur ante *Antiquitates Trenorchianas* Sanjuliani & *Miscellanea Historica*,

Alia eius *Opera* sunt mihi in obscuro.

Floruit anno Incarnationis Dominicæ MDLXXXVI.

De *Petri Tamiserij* scriptis & laudibus Petrus Sanjulianus Baleurreus, *in Antiquitatibus Trenorchianis*; & *in Præfatione* ad Franciscum *de la Rochefoucaud* Abbatem Trenorchianum, posteà S. R. E. Cardinalem sanctissimum, Philibertus Mareschallus, *in Promptuario Literario Gallico*, Gui-

lielmus Colletetus, Parisinus, in suo opere nunquam satis laudato *de Vitis Poëtarum Gallorum*.

PETRVS MORESTELLVS
Philologus,

TRenorchiensis apud Cabilonenses, Burgundus, Artiū Liberalium Magister ac S. Theologiæ doctor, *Carolià Lotharingia* Ducis Ellebouii Præceptor, humanioribus literis, eloquentia, linguarum Græcarum Latinarúmve & liberalium artium cognitione instructissimus. Prætereà cùm MORESTELLVS sit magnum patriæ & montis Aonij decus, & candoris ingeniique dotibus ornatissimus, magno est in honore apud viros Literatos. Vnde eruditionis & virtutis intuitu Ecclesiæ Collegiatæ Sancti Ludouici à Saliceto in Diœcesi Ebroicensi in Neustria Canonicus factus est: Sed ad doctrinæ testimonium non tam aliena verba, quam nostri MORESTELLI opera literaria adhibeamus. Scripsit enim ad vtilitatem posteritatis & nominis sui immortalitatem ad Illustrissimum & Reuerendissimum *Cyrum Tyardæum* Cabilonensium Antistitem, Latino sermone eleganti.

Philomusum siue *de Triplici anno Romanorum, mensibus, eorúmque partibus, deque die Ciuili & diuersitate dierum. Lib.* V. Lugduni, apud Iacobum Roussin, 1605. in 4.

Alypium siue *de Priscorum Romanorum ferijs* Librum. Ibid. apud eund. 1605.

Methodum ad acquirendas omnes scientias. Rothomagi, 1632. in 8.

Prælatorum Vexillum. Parisiis, apud Iacobum du Gast. 1634. in 8.

Reginam scientiarum. Rothomagi, 1632. in 8.

ΕΓΚΥΚΛΟΠΑΙΔΕΙΑΜ, siue *Artificiosam rationem & viam circularem, ad artem magnam & mirabilem* illuminati Magistri Raymundi Lullii, *per quam de omnibus disputatur, habeturque*

cognitio. Accesserunt *Lineæ communicationis ab eodem ductæ*, siue *Idea Artis breuissima*, In Collegio Salicetano. 1646. in 8.

Pompam Feralem seu *Iusta funebria.* Parisiis, apud Melchiorem Moudier 1621. in 8.

Artem Cabalisticam. Habetur apud Goclenii *Vranoscopium* in 8.

Viuebat Saliceti in Neustria, anno Domini MDCXLVI.

CLAVDIVS DECRET *Societatis Iesu,*

PAtriâ Trenorchianus, natione Burgundus, Societatis Iesu Theologus. Vir integræ & spectatæ virtutis, singularis eruditionis & eximiæ probitatis famâ percelebris, ob morum suauitatem Magnatibus charus, imò & omnibus amabilis, illustrissimæ *Mariæ Catharinæ Rupifucaldiæ*, Marchionissæ Senescæ, incomparabilis pietatis & ingenii Fœminæ Confessor. Edidit Gallico Idiomate ad præfatam Marchionissam Senescæam, opus, cui titulus est,

Vera Vidua vel *Idea perfectionis in Viduitatis statu: cum Elogijs* XL. *Viduarum sanctitate eminentium.* Parisis, apud Gasparum Meturas, 1650. in 4.

Plura alia ab ingenio tanti viri expectamus.

Viuit Parisiis, anno Christi nati MDCLI.

IOANNES MAGNON *Poëta,*

NAtione Burgundus, patriâ Trenorchianus. Is ab adolescentiâ Lugdunum profectus, artes liberales & scientias philosophicas in collegio SS. Trinitatis Patrum Societatis Iesu, magno cum fructu, didicit. Vir facundi ingenii, felicis memoriæ, & artis Poëticæ laude clarus. Scripsit maternâ linguâ *Comœdias & Tragœdias quamplurimas*, nempè,

De Magno Tamerlano & Baiazete. Parisiis, apud Tussanum Quinet, in Palatio, 1648. in 4.

De Matrimonio Dorontadi & Statiræ. Ibidem, apud eundem, 1648 in 4.

De Iosaphat & Barlaamo. Ibid. apud eund. 1648. in 4.

De Sejano. Ibid. apud eund. 1648. in 4.

De Dione Syracusano, MS.

De Muliere Catanensi. MS.

De Trinitate Poëma ad illustrissimum ac Reuerendissimum D.D. Ioannem-Paulum-Franciscum de Gondy, Archiepiscopum Corinthiacum & Coadiutorem Parisiensem, literarum & literatorum Mæcenatem munificentissimum & omni æuo dignum. MS.

Carmina varia ad Magnates & viros literatos. MSS. *Hæc omnia* penes Auctorem.

Cùm sit adhuc ætate iuuenis *varia* ab illo, ad Rempublicam literariam decorandam, expectantur; Viuit hoc anno Verbi Incarnati MDCLI.

LVDOVICI IACOB DE CABILONENSIBVS CLARIS SCRIPTORIBVS,

LIBER TERTIVS.

In Quo agitur de Scriptoribus, qui in Diœcesi Cabilonensi, mortui sunt.

B. ALBERICVS *Abbas Cisterciensis,*

NATIONE Gallus, ex Monacho Molismensi eiusdem monasterii Prior, deinde Abbas II. Cisterciensis post *S. Robertum* Abbatem Molismensem & Ordinis Cisterciensis fundatorem à duodecim vel tredecim monachis electus, qui cum duobus magnis Ordinis sui luminaribus, Sanctis *Roberto & Stephano Hardingo* Anglo eius Successore sacrum Cisterciensem Ordinem in vastissima sylua, in diœcesi Cabilonensi, incœpit. Vir raræ sanctitatis & inculpatæ vitæ laudibus conspicuus, Deo & B. Virgini charus, à qua habitum seu cucullam albam, dono singulari & cœlesti, accepit; Fuit præterea eximiâ præditus eruditione, vndè omnium primus edidit

Constitu-

Constitutiones noui Ordinis sui, quas sedes Apostolica seu Paschalis II. Papa, confirmauit & approbauit.

Migrauit ad Christum Cistercij, anno Verbi incarnati MCVII. die XXVI. Ianuarii.

De *B. Alberico Abbate Cisterciensi*, S. Stephanus eius successor, *in Sermone habito in die depositionis B. Alberici*, Chrysostomus Henriques, Hispanus, *in Menologio Cisterciensi, die* XXVI. *Ianuarij*; & *in Fasciculo Sanctorum Ordinis Cisterciensis, lib. 1. dist. 2.* Sigebertus Monachus Gemblacensis, *in Chronico ad annum* MLXXXXVIII. Robertus Abbas Montis S. Michaelis in periculo maris, *in Supplemento Chronici Sigeberti Gemblacensis ad annum* MCVII. Cæsarius Heisterbacensis monachus Ordinis Cisterciensis, *Lib. 1. Dialogorum cap. 1.* Vincentius Bellouacensis, *in Speculo Historiali lib. 25. cap. 94.* S. Antoninus, Archiepiscopus Florentinus, *in Summa Hist. 2. parte, tit. 15. cap. 18. § 1.* Ioannes Abbas, *in Catalogo Sanctorum Ordinis Cisterciensis*, Exordium paruum Cisterciense *à cap. 9. vsque ad 16.* Cæsar Baronius, Cardinalis, *in Notis ad Martyrologium Romanũ*, Andreas du Saussay, *in Martyrologio Gallicano*, Renatus Chopinus, Andecauensis, Aduocatus Parisiensis, *Lib. 1. Monastici, tit. 3.* Aubertus Miræus, Bruxellensis, *Lib. 5. Originum Monasticarum, cap. 14.* Bernardus Brito, Lusitanus, monachus Alcobacensis, *in Historia Cisterciensi lib. 1. cap. 9. & 10.* Angelus Manrique, Hispanus, *Tomo 1. Annalium Cisterciensium, in Laurea Euangelica lib. 3. discursu 7.* & *in Sanctorali Cisterciensi, lib. 2. disc. 3.* Barnabas de Montalbo, Hispanus, monachus montis Sion, *Tomo 1. Chronicorum Cisterciensium, lib. 1. cap. 22.* Gaspar Iongelinus, Antuerpiensis, *in Notitia Abbatiarum Ordinis Cisterciensis*, Paschalis II. Papa, *in Priuilegio Cisterciensibus dato*, Ioannes Aluarus, Celtiber, ex Monacho Beruelæ Episcopus Solsonensis in Catalania, *in Vita S. Bernardi*, Laurentius de Zamora, monachus Hortensis, *in Monarchia Mystica Ecclesiæ*, Ludouicus Bernardus de Quiros, Monachus S. Mariæ de Spina, Reformator generalis Congregationis Hispaniæ, *in Republica Monastica*, siue *Commentarijs in Regulam S. Benedicti*, Franciscus Poiræus, S. I. *in Triplici*

Corona Virgini Dei Matri, ex Humanis, Diuinisque Scientiis texta, Athanasius Lobera, Hispanus, Monachus Montis Ramorum, *in Vitis Sanctorum Froilani Legionensis & Athilani Zamorensis Episcoporum*, P. Benedictus Gononus, Burgensis, apud Sebusianos, Celestinus Lugdunensis, *in Chronico Deiparæ.*

S. STEPHANVS HARDINGVS
Abbas Cisterciensis,

NObilis Anglus, ex Monacho Benedictino Shirburnensi subprior Molismensis, diœcesis Lingonensis, deindè Abbas III. monasterij Cisterciensis anno Domini MCVII. electus. Is est qui *S. Bernardum* cum triginta Sociis, habitu monastico Cistercij induit, & qui cum eo anno MCXXVII. Concilio Trecensi interfuit. Vir raræ sanctitatis, parisque eruditionis. Scripsit

Chartam charitatis, siue *Constitutiones Ordinis Cisterciensis.*

Exortationum priuatarum ad monachos lib. vnum.

Vitæ monasticæ ritus & vsus Librum vnum.

Sermonem in die depositionis B. Alberici sui Prædecessoris. Legitur *in Fasciculo Sanctorum Ordinis Cistercij*. R.P. Chrysostomi Henriques, viri & pietate & eruditione percelebris.

Epistolam ad Ludouicum VI. Galliæ Regem cognomento Grossum. Extat *inter Epistolas* S. Bernardi, *epistolà* XLV.

Epistolam ad Honorium II. Romanum Pontificem.

De claritate lib. I. ex Gesnero, sed forsan *de Charitate.*

Moritur Cistercii oculis captus anno Christi MCXXXIII. die XVII. Aprilis, quô anno (inquit eruditus Claudius Robertus) sol eclipsim patitur, qui annus est, more Romano, MCXXXIV. die XXVIII. Martij.

De *S. Stephano Abbate Cisterciensi* Martyrologium Romanum, *ad diem* XVIII. *Aprilis*, Cæsar Baronius S. R. E. Cardinalis, *in Notis ad præfatum Martyrologium*, Andreas du Saussay, Parisinus, *in Martyrologio Gallicano*, Arnoldus Wion, *in Martyrologio Monastico*; & *Ligno Vitæ*, Chrysosto-

mus Henriques, *in Menologio Cisterciensi; & Phœnice Reuiuiscente Cistercij*, Guilielmus Abbas S. Theoderici, posteà Monachus Clarauallensis, *lib. 1. Vitæ Sancti Bernardi, cap. 3. 4. & 5.* Laurentius Surius, Carthusianus, *Tomo* IV. *de Vitis Sanctorum*, Sigebertus Gemblacensis, *in Chronico, anno* MXCIII. & MCVII. Vincentius Bellouacensis, Burgundus, *lib. 25. Speculi Historialis cap. 95. & lib. 26. cap. 182.* S. Antoninus, *Parte 2. tit. 15. cap. 18.* Wernerus Roleuinck, Carthusianus, *in Fasciculo Temporum*, *anno* MCXXIV. Michael Buchingerus, Colmariensis, *in Vita Vrbani II. Papæ.* Ordericus Vitalis, Monachus Vticensis *lib. 8. Historiæ Ecclesiasticæ*, Exordium Cisterciense *lib. 1.* Barnabas de Montalbo, *lib. 1. cap. 28.* Bernardus Brito, *lib. 1. cap. 21.* Angelus Manrique, *Tomo 1. Annalium Cisterciensium*; & *lib. 2. Sanctoralis Cisterciensis, disc. 4.* Gaspar Iongelinus, *in Notitia Abbatiarum Ordinis Cisterciensis*, Hugo Archiepiscopus Lugdunensis, *in Epistola ad Stephanum*, Guilielmus Malmesburiensis, *in Chronico*, Petrus Sanjulianus, *in Antiquitatibus Cabilonensibus*, Aubertus Miræus, *in Chronico Cisterciensi*, Ioannes Pitsæus, *de illustribus Angliæ Scriptoribus*, Claudius Robertus, *in Gallia Christiana*, Conradus Gesnerus, *in Bibliotheca*, Antonius Posseuinus, *in Appatatu Sacro.*

PETRVS ABAELARDVS,

Vel ABELARDVS cognomento *Dialecticus*, natione Armoricus, Philosophus & Theologus toto orbe celeberrimus, scientiarum tàm diuinarum quàm humanarum singulare prodigium, aliquandiu vitam parùm honestam cum *Heloissa Mommorantiana* genere & eruditione nulli secunda egit. Sed pœnituêre paulò post, illaque Monialis, deindè Paracleti monasterii Ordinis S. Benedicti, diœcesis Trecensis Antistita facta est; hic verò Monachus Sandionysianus prope Parisios, postea Abbas Ruyensis constitutus. Varijs se erroribus implicauit, vndè in Concilio Senonensi

à Sanctissimis Viris *Bernardo* Abbate Clarauallensi & *Petro Venerabili, Abbate* Cluniacensi condemnatus fuit, sed resipiscens magnum vitæ monasticæ ornamentum in monasterio Cluniacensi, vsque ad vitæ extremum extitit. Scripsit opera quamplurima in vnum volumen edita operâ & studio Illustrissimi Viri *Francisci Amboësi*, Equitis, Regis in Sanctiori Consistorio Consiliarii, Baronis Chartræ &c. in quibus continentur

Epistolæ Petri Abaelardi & Heloissæ, quarum aliquæ *Historiam Calamitatum Abaelardi* complectuntur, pag. 3.

Originem religionis Sanctimonialium. pag. 94.

Institutionem seu *Regulam earundem.* pag. 130.

Epistola Fulconis Prioris de Diogillo ad Petrum Abaelardum. pag. 217.

Epistola Petri Abaelardi aduersus eos, qui ex auctoritate Bedæ Presbyteri arguere conantur Dionysium Areopagitam fuisse Dionysium Corinthiorum Episcopum, & non magis fuisse Athieniensium Episcopum. pag. 224.

Epistola eiusdem Abaelardi contra quendam Canonicum Regularem, qui monasticum ordinem deprimebat, & suum illi anteferebat. pag. 228.

Inuectiua in quendam ignarum Dialectices, qui tamen eius studium reprehendebat, & omnia eius dogmata putabat sophismata & deceptiones. pag. 238.

Elegia Hilarij Petri Abaelardi discipuli, quà plangit recessum eius ex Paraclito. pag. 243.

Epistola Petri Abaelardi ad S. Bernardum Abbatem Claræuallensem. pag. 244.

Exhortatio ad studium literarum. pag. 251.

De Laude S. Stephani Martyris. pag. 263.

Epistolæ aliquot S. Bernardi Claræuallensis Abbatis ad Cardinales & Innocentium II. Papam contra P. Abaelardum. pag. 270. & seqq.

Rescripta Innocentij Papæ contra eundem. pag. 299. & 301.

Berengarij Pictauiensis Abaelardi discipuli apologeticus contra B. Bernardum Claræuallensem Abbatem, & alios qui condemnauerunt Præceptorem suum. pag. 302.

Obdormiuit in Domino, in Prioratu S. Marcelli Cabilonenſis, Ordinis S. Benedicti, Congregationis Cluniacenſis, anno Domini MCXLII. XI. Cal. Maij. ætatis ſuæ 63. vbi aliquandiù ſepulturam accepit in Sacello B. V. Mariæ, ſub tumba lapidea, à paucis annis à monachis huius regalis monaſterii, magno antiquitatis damno, ablata: ſed poſteà *Petrus Cluniacenſis,* corpus Abaelardi furtim delatum,

Heloisæ & monialibus Paracliti concessit. In cuius memoriam sequentia lusit Epitaphia.

GAllorum Socrates, Plato maximus Hesperiarum,
Noster Aristoteles, Logicis (quicumque fuerunt)
Aut par aut melior, studiorum cognitus orbi
Princeps, ingenio varius, subtilis & acer,
Omnia vi superans rationis & arte loquendi,
ABELARDVS *erat. Sed nunc magis omnia vincit,*
Cùm Cluniacensem monachum, morémque professus,
Ad Christi veram transiuit Philosophiam.
In qua longæuæ benè complens vltima vitæ,
Philosophis quandóque bonis se connumerandum
Spem dedit, vndenas Maio renouante Calendas.

ALIVD.

PETRVS *in hac petra latitat, quem mundus Homerum*
Clamabat, sed iam sydera sydus habent.
Sol erat hic Gallus, sed eum iam fata tulerunt,
Ergo caret regio Gallia sole suo.
Ille sciens quicquid fuit illi scibile, vicit
Artifices artes absque docente docens.
Vndecimæ Maij PETRVM *rapuere Calendæ,*
Priuantes logices atria Rege suo.
Est satis in tumulo PETRVS *hic iacet* ABAILARDVS
Cui soli patuit, scibile quicquid erat.

De *Petro Abaelardo*, Innocentius II. Papa, *in Rescriptis*, S. Bernardus, Abbas Claræuallensis, *in Epistolis*, B. Petrus Venerabilis, Abbas Cluniacensis, *Lib.* IV. *Epistolarum*,

Anonymus Auctor, *in Chronico Cluniacensi*, Godofredus Claræuallensis Monachus, *in Vita S. Bernardi*, Antonius Floretus, *Ibid.* Chronicon Senonense MS. *anno* MCXLII. Franciscus Petrarcha Poëtarum Princeps *Lib. 2. de Vita Solitaria*, Vincentius Bellouacensis, Burgundus, Ordinis Prædicatorum, *Lib.* XXVII. *Speculi Historialis, cap. 13.* Robertus Monachus Autissiodorensis, *in Chronico*, Iacobus Philippus Foresterus, Bergomensis, Augustinianus, *in Supplemento Chronicorum*, Ioannes Trithemius, Abbas Spanheimensis, *de Illustribus Viris Ordinis* S. *Benedicti*; & *de Scriptoribus Ecclesiasticis*, Henricus de Gandauo, *Ibid.* Helinandus, Monachus Frigidi Montis, Historicus & Poëta Gallus, *in Historia*, Ioannes, Monachus S. Victoris Parisiensis, *Ibid.* Ioannes Auentinus, *in Annalibus Bojorum*, Ioannes Nauclerus, *Generatione* XXXIX. Cæsar Baronius, Cardinalis, *in Annalibus Ecclesiasticis*, Bartholomæus Plarina, *in Innocentio II.* Paulus Æmilius, Veronensis, Canonicus Parisiensis, *Lib.* V. *Historia Francorum*, Bernardus Girardus, Hallanus, *in Historia Francorum*, Franciscus Belleforestus, *Ibid. lib. 3. cap. 47.* Nicolaus Vignerius, Medicus & Historiographus Regius, *in Bibliotheca Historica*, Petrus Sanjulianus, Balleurreus, *in Antiquitatibus Cabilonensibus* Stephanus Paschasius, Parisinus, *in Disquisitionibus Franciæ*, Conradus Gesnerus, *in Bibliotheca Vniuersali*, Guilielmus Paradinus, Decanus Bellijocensis, *Libro 1. Annalium Burgundiæ*, Gabriel Naudæus, Parisinus, Bibliothecæ Mazarinæ Præfectus, *in Additione ad Historiam Regis Ludouici XI.* Nicolaus Camusatus, Canonicus Trecensis, *in Antiquitatibus Tricassinis*, Andreas Saussaius, Officialis Parisiensis, *de Scriptoribus Galliæ Mysticis*, Ioannes Picardus, Canonicus Regularis S. Victoris Parisiensis, *in Notis ad Epistolas* S. *Bernardi*; & *in Vita* MS. *Petri Abaelardi*, quæ asseruatur Parisiis, *in Bibliotheca Mentelliana*, Franciscus Ambosius, *in Vita Abaelardi*, Petrus Guillebaud à S. Romualdo, Fulliensis, *Tomo 2. Thesauri Chronologici & Historici*, Angelus Manrique, *Tomo 1. Annalium Cistercienfium*, Gilbertus Genebrardus, *in Chronographia*, Guilielmus Colletetus, dominus Vallis-gaudij, *in Vita Petri Abaelardi* hacte-

nùs *inedita*, Iacobus Gauterius, Annonensis, S. I. *in Tabula Chronographica*, Galfredus Antissiodorensis, Monachus Clarauallensis, *in Libro contra Petri Abaelardi errores*, Antonius Auberius, Parisinus, *in elogio Guidonis de Castello S. R. E. Cardinalis*, Ioannes Salabert, Presbyter Agennensis, *in Philosophia Nominalium vindicata*, Franciscus Bosquetus, ex Prætore Narbonensi Comes Consistorialis & Episcopus Lodeuensis, *Parte 2. Historiarum Ecclesiæ Gallicanæ*, Iacobus Doublet, Monachus Sandionysianus, *in Antiquitatibus Sandionysianis*.

ALANVS DE INSVLIS
Monachus,

NAtione Belga, Doctor Theologus Parisiensis, cognomento *Vniuersalis*, deinde Conuersus monasterii Cisterciensis. Vir ad miraculum eruditus, fortissimum Ecclesiæ Catholicæ propugnaculum, magnum humilitatis exemplum, immortalis monachorum gloria, fulgentissimum, Pieridum sydus, hæreticorum malleus, qui interfuit Consilio Lateranensi œcumenico sub Innocentio III. R. P. anno MCCXV. celebrato in comitatu Abbatis Cisterciensis, cui tunc erat famulus, in quo vehementissimè & solertissimè aduersùs quendam hæreticum *Almarici* Carnotensis discipulum, disputauit, magno Ecclesiæ bono. Iam verò ad immensam librorum, quos de omni penè materia scripsit, multitudinem veniamus, quo nullum multiplicis eius eruditionis locupletius esse potest testimonium. Scripsit igitur,

In Libros V. *Mosis Commentaria*, Lib. V.
In Cantica Canticorum Commentaria, Lib. I.
Oculum sacræ scripturæ, Lib. I.
De Doctrina Lib. I.
In Libros IV. *Sententiarum Commentaria* Lib. IV.
Quodlibeta, Lib. I.

De

De Parabolis Lib. I. Carmine elegiaco, qui *Doctrinale* altum inscribitur: sunt autem *Sententiæ Morales*, quas Gallico versu reddidit Iacobus Bourlé, Bellouacensis, Doctor Theologus Parisiensis, & Pastor S. Germani Veteris, ex *Bibliotheca Gallica* Francisci Grudei à Cruce Cœnomanâ.

Anticlaudianum Lib. IX. Basileæ, apud Henricum Petrum, 1536.

De Planctu Naturæ Librum carmine & prosa, Quem illustrat *Leo Allatius*, Chius, Græcorum nostro æuo doctissimus. MS. apud Mathæum Dresserum.

Contra Sodomiæ vitium.

Contra Valdenses Lib.

De Maximis Theologiæ. MS. apud M. Dresserum, & editum etiam in 4.

De Fide Catholica. MS. apud eundem.

Speculum Ecclesiæ MS. apud eundem.

Patrum Doctrinale MS. apud eund.

De Pœnitentia ad Biuricenses.

Obiit in Abbatia Cisterciensi diœcesis Cabilonensis, magnâ cum sanctitatis famâ, anno salutis MCCXCIV. die XXX. Ianuarii, ætatis suæ CXVI. Iacet in Claustro Cistercii, in tumulo lapideo, cum effigie & ouibus ad pedes, hoc Epitaphio, adornato.

ALANVM *breuis hora, breui tumulo tumulauit,*
Qui duo, qui septem, qui totum scibile sciuit,
Labentis sædi contemptis rebus egens fit,
Intus conuersus, gregibus commissus alendis,
Mille duceniteno, nonageno quoque quarto
Christo deuotus mortales exuit artus.

De *Magno Alano Insulensi* Chrysostomus Henriques, *in Menologio Cisterciensi*, Angelus Manrique, *in Annalibus Cisterciensibus*, Hermannus Schedelius, *in Chronico Nurembergensi*, Iacobus Philippus Bergomensis, *in Supplemento Chronicorum*, Ioannes Tithemius, *de Scriptoribus Ecclesiasticis*, Au-

bertus Miræus, *Ibid.* Conradus Gesnerus, *in Bibliotheca*, Antonius Posseuinus, *in Apparatu Sacro*, Albertus Crantzius, *in Metropoli lib. 8. cap. 55.* Franciscus Suueertius, *in Athenis Belgicis*, Valerus, Andreas Dessélius, *in Bibliotheca Belgica*, Claudius Robertus, *in Catalogo Abbatum Cisterciij*, Petrus à Sancto-Romualdo, Fulliensis, *Tomo 3. Thesauri Chronologici & Historici, anno 1294* Matthias Bonhomme, *in Historia Alani*, Barnabas de Montalbo, *in Chronico Cisterciensi*, Ioannes Abbas Ordinis Cisterciensis, *in Catalogo Sanctorum Ordinis Cisterciensis.*

IOANNES DE ALNETO *Abbas*.

NAtione Burgundus, ex Monacho Ordinis Cisterciensis, totius suæ Religionis Abbas & Generalis. Vir summæ eruditionis, parisque auctoritatis & prudentiæ, cuius memoria est in benedictione apud Monachos Cistercienses, vt colligo ex Monumentis Abbatiæ Cistercii, quæ aliàs ibi legi

Hinc Alius celebs plenus grauitate IOANNES
Lux Prælatorum; vox & tuba Conciliorum.

Interfuit conciliis Constantiensi & Ferrariensi, anno Domini MCDXXXVIII. sub Eugenio IV. Romano Pontifice. Scripsit

Propositiones factas coràm Papa, anno MCDXXXVIII. Vidi MSS. in præclara Bibliotheca Cisterciensi Latinè cum *Responsionibus.*

De *Aliis* eius *scriptis* hactenùs nihil reperi.

Migrauit ad Dominum anno salutis MCDXL. III. Calendas Aprilis; Iacet in Capitulo Cistercii.

De *Ioanne de Alneto*, Claudius Robertus, *in Catalogo Abbatum Cisterciensium*, Angelus Manrique, *Tomo primo Annalium Cisterciensium*, Gaspar Iongelinus, Abbas Cisterciensis Ordinis, *in Notitia Abbatiarum eiusdem Ordinis.*

IOANNES DE CIREY *Abbas*,

Diuionensis, clarissimo ortus sanguine. Is ab adolescentia Cisterciense institutum est amplexus in celeberrimo Cistercii monasterio, in diœcesi Cabilonensi sito. Vir bonis literis & Monasticis disciplinis admodùm excultus, & per omnia talis, quem assiduum virtutis studium, morúmque integritas, & innocentia vitæ bonis omnibus de meliori nota commendauerant. Nec intereà studiorum cursum interrupit, donec supremam in sacra Theologia lauream esset consecutus. Erat enim (teste *Bonifacio Simoneta*, Mediolanensi, Abbate Cornu Ordinis Cisterciensis, diœcesis Placentinæ lib. 2. epist. 19.) *massa omnibus virtutibus condita & elimata, sine arrogantia ciuilis.* Sed accedente ad merita inculpatæ vitæ & exquisitæ scientiæ laudem Balernæ Abbas, deinde monasterii Cisterciensis consensu, electus est Abbas Generalis XLIII. circa annum Christi, MCDLXXI. post decessum *Imberti de Zona*, qui mortuus erat Romæ anno MCDLXX. VII. Calendas Aprilis. In qua dignitate constitutus multa se planè digna præstitit, vt indicat sequens distichon, quod excerpsi Cistercii è Tabula quadam manuscripta, Ecclesiæ affixa.

Religionis Apex Doctor Pastórque IOANNES
Quem Diuio dedit in lucem de gente CIREYA.

Fuit etiam Consiliarius Parlamenti Burgundiæ, in rebus agendis mirè prudens, in expediendisque negotiis non minùs dexter. Edidit

Priuilegia Ordinis Cisterciensis. Diuione, Typis Petri Merlinger, Alemanni, anno 1491.

Decessit Cistercii anno Incarnationis Dominicæ MDIII. VI. Kalendas Ianuarias, cum magna sanctitatis opinione: sepultus est in Capitulo cum sequenti Epitaphio.

QVindecies Christi centenus tertius annus,
Sëxque Calendæ erant, maxime Januarij.
Cum tegitur tumulo, præstanti laude IOANNES,
Religionis apex maximus, eloquium
Familiæ CIREY, *soboles Diuionis alumnus*
Pro sacris studiis, laureolam meritus:
Primus honos Theologus, erat: Balerna secundus,
Quam commendarum depulit è manibus,
Ter nouies annis supremo munere functus
Ordinis & Princeps, flugifer vsque fugit
Sed titulos tantos, & munera sponte reliquit,
Nomen fama tenet, hîc nisi sunt cineres.

De *Ioanne de Cireyo* legendi sunt Claudius Robertus, *in Gallia Christiana*, Angelus Manrique, *in Annalibus Cistercienfibus*, Gaspar Iongelinus, Antuerpiensis, *in Notitia Abbatiarum Ordinis Cisterciensis*, Petrus Palliot, Parisinus, *in Parlamento Burgundiæ*, Bonifacius Simoneta, *loco citato.* Chrysostomus Henriques, *lib. 1. Fasciculi Sanctorum Ordinis Cisterciensis.*

NICOLAVS BOVCHERAT *Abbas*,

NAtione Campanus, patriâ Trecensis, Monachus Cisterciensis, Doctor Theologus Parisiensis, ex Priore monasterij de Recluso, Procurator Generalis Ordinis, deindè Abbas Generalis Cisterciensis ordine LI. post Hieronymum de Soucheria, Aruernum S.R.E. Cardinalem, Virum sanctimoniâ & summâ eruditione præditum, omnium suffragiis electus est, Consiliarius Senatus Burgundiæ

extitit. Interfuit Concilio Oecumenico Tridentino ac Comitiis Generalibus Rothomagensibus, nomine Statuum Burgundiæ, in quibus tàm eloquentissimè orauit coram Rege Carolo IX. vt summi Oratoris laudem acquisiuerit; vndè monumenta Cisterciensia, hoc Disticho, nostri Bocherati encomia valdè celebrant

O Pater innumeris meritis notissimus orbi
BOVCHERAT, *os ardens nomen tibi cessit & omen.*

Vir sanè vitâ, virtutibus & eruditione insignis. Vndè crescentibus meritis & crebrescente famâ Orator Burgundiæ in Comitiis Generalibus Rothomagi habitis destinatus est, in quibus habuit

Orationem ad Carolum IX. Francorum Regem anno MDLXXVIII. *die* XVIII. *Iunij, nomine Statuum Burgundiæ.* Prodiit Parisiis eodem anno *cum Regis Responsione.*

Obijt Cistercii in diœcesi Cabilonensi anno Christi MDLXXXVI die XII. Martii, ætatis suæ LXXI. Tumulatus in Presbyterio, ad monumentum Cardinalis Roberti Abbatis XXVII. tumulo æneo instaurato ab Edmundo à Cruce, Trecensi, Successore meritissimo, cum bellis ciuilibus ab impiis hæreticis asportatus fuisset.

De *Nicolao Bocherato* Amplissimus Præses Iacobus Augustus Thuanus *in Historia anno* MDLXXVIII. & *libro 2. de Vita propria.* Antonius Verderius *in Bibliotheca Gallica*, Georgius Draudius *in Bibliotheca Exotica*, Philibertus Mareschallus, *in Promptuario Literario Gallico*, Angelus Manrique *in Annalibus Cistercienfibus*, Gaspar Iongelinus, *in Notitia Abbatiarum Ordinis Cisterciensis*, Claudius Robertus, *in Catalogo Abbatum Cisterciensium*, Ioannes Palliot, *in Parlamento Burgundiæ.*

EDMVNDVS à CRVCE *Abbas*,

TRecensis, Doctor Theologus Parisiensis, ex Monacho Claræuallensi summus totius Ordinis sui Antistes,

Senator Parlamenti Burgundiæ. Vir multiplici eruditione præstans, & eximiâ præditus religione. Scripsit & dixit assistente illustrissimo suo collegâ *Perpetuo de Berbisey* Senatore Diuionensi,

Orationem Latinam, quâ Henricum Caietanum S. R. E. Cardinalem sedis Apostolicæ ad regnum Galliæ Legatum, excepit nomine Burgundiæ, die Dominicâ primâ aduentus Matiscone. Diuione, Typis Ioannis des Planches, 1590. in 8.

De *Cæteris* eius *scriptis* nihil habeo.

Decessit Barcinone in Catalaunia, anno gratiæ MDCIV. XII. Cal. Septembris; sepultus est in Monasterio Regali Populeti, diœcesis Turiasonensis, cum sequenti Epitaphio.

Edmundus mundus, mundi qui crimina vicit,
His Regum tumulis præbuit ipse decus.
Si Crucis à Christo mundus iam pignore fulget,
Nunc Cruce de Edmundo *munda cuculla micat.*
Concinat & mundus de Edmundo carmine laudes,
Qui vitam degit semper in ore Dei.
Non solum hæc proles, sed Cister turma ciensis,
Omnis exultet, tale habuisse caput.
Hunc Claræuallis nutrit, hunc Cistercius ornat,
Atque inter Reges hunc Populetus humat.

De *Edmundo à Cruce* consule Angelum Manrique, *in Annalibus Cistercienſibus*, Gasparem, Iongelinum, *in Notitia Abbatiarum Ordinis Cisterciensis*, Claudium Robertum, *in Catalogo* Abbatum *Cistercienſium*, Ioannem Palliot, Typographum Diuionensem, *in Parlamento Burgundiæ*.

COROLLARIVM

In Quo Agitur DE QVIBVSDAM *Viris Literatis*,

CABILONENSIBVS.

PHILIBERTVS DE IANLEY *Decanus*,

NAtione Burgundus, *illustri natus sanguine*, S. Sedis Apostolicæ Protonotarius, canonicus & Decanus Ecclesiæ S. Vincentii Cabilonensis, tandem Consiliarius honorarius Senatus Burgundiæ. Vir sanè eruditus ac omnigenâ rerum cognitione refertus, maximâq; pollens linguarum Hebraïcarum peritiâ, vt testatur Petrus Sanjulianus Balleurreus, *in Antiquitatibus Matisconensibus* v. Sauigny.

Viuebat adhuc Cabilone anno à partu Virgineo MDII.

De *Philiberti de Ianley* Decani Cabilonensis doctrinâ, testimonia reddiderunt præclara, præter Petrum Sanjulianum, Claudius Robertus, Maior Vicarius Cabilonensis, *in Gallia Christiana* à clarissimis Sanmarthanis *paratâ*, Nicolaus Carolus Sanmarthanus, Regis Eleemosynarius, *in Historia Ecclesiastica Cabilonensi* hactenùs *ineditâ*, Petrus Palliot, Parisinus, Typographus Diuionensis, *in Parlamento Burgundiæ*.

IOANNES DE CABILONE *Abbas*,

VEl *de gente illustri* (ait eruditissimus Claudius Robertus in Gallia Christiana) *intelligitur, vel de Vrbe; nam plerisque vitam Monasticam professis nomina induntur à loco natali.*

Ego censeo à loco natali; vtinam eius nomen familiæ fuisset mihi notum. Is primùm fuit Monachus celeberrimi Monasterii Firmitatis ad Gronam, diœcesis Cabilonensis quod est prima Filia Cistercii, deindè Abbas Rigniaci ad Armensonem fluuium, diœcesis Antissiodorensis, demùm Fontaneti, diœcesis Æduensis, postremò & vltimò Abbas Claræuallensis ordine x l. post Petrum de Vireyo anno Domini M C D X C V I I. omnium votis, electus est. Doctor Theologus Parisiensis, cùm esset summâ præditus religione & literarum cultor celeberrimus Bibliothecam amplissimam in suo Claræuallensi monasterio, magnis sumptibus, construxit. Quid plura noster eruditissimus Conciuis gesserit & an aliquid scripserit, nihil certi habeo.

Mortuus est Claraualle in Diœcesi Lingonensi in Campaniæ Comitatu ad Albam fluuium, Anno à partu Virgineo M D I X.

De *Ioanne de Cabilone* legendi sunt Claudius Robertus *in Catalogo Abbatum Claræuallensium*, Angelus Manrique, *Ibid.* Gaspar Iongelinus, *Ibid.*

CLAVDIVS IACOT *vel* IACOB *Carmelita*,

HOnestis ortus parentibus Cabilone, Ordinis Carmelitarum alumnus ab adolescentia, in monasterio Cabilonensi factus, deindè Parisios missus, ibi Philosophicas scientias diligenter didicit. Tandem etiam emenso Theologicorum cursu, in publicum prodiit, & subtiliter disputando, magnam apud omnes sibi famam acquisiuit, ita vt ad supremam in Theologia lauream anno Christi M C D X C I I. peruenerit. Deindè in patriam reuersus, electus est Prior Conuentus Cabilonensis anno M C D X C V. Anno I V. sui prioratus Nolarium ædificari cœptum est eius solicitudine & Reuerendorum Magistrorum *Natalis Pelleret* & *Simonis de Bonne-Foy*, vt testantur monumenta MSS. Conuentus Cabilonensis.

Cabilonensis. Vir ingenio, eruditione & probitate conspicuus, *Doctor Ingeniosus* nuncupatus (ab *Hugone Durando*, Cabilonensi Carmelitâ, *in Necrologio* Conuentus Carmelitarum Cabilonensium) *& Deo dignus*. Quid aliud præstiterit, fateor me nihil scire.

Viuendi finem fecit noster magnus Patruus Cabilone inter charissimos nostros Confratres, anno Incarnationis Dominicæ MDXIII. Iacet ante Crucifixum Ecclesiæ.

LVDOVICVS DE SOVBTERRAM
Canonicus.

INter alia sidera insignis Ecclesiæ Cabilonensis eluecet noster SVBTERRAMVS, sed an patriâ Cabilonensis, hactenùs nihil habeo certi. Iuuenis in bonarum literarum studiis egregiè educatus, omnes artes ac disciplinas humaniores summo cum fructu didicit. Ætate maturior patriam reliquit, Italiamque petiit, deindè Ticinum venit, vbi aliquot annis vnâ cum eruditissimo *Bartholomæo de Chassenea*, Æduo, in Iurisprudentia feliciter collocatis, vtriusque Iuris Doctor renunciatus est. ~~Tandem in Burgundiam~~ reuersus, constitutus fuit S. Sedis Apostolicæ Protonotarius, deindè Prior Commendatarius *de Montempuys*, Canonicus Æduensis atque Cabilonensis, & qui (ait Æduorum honos Bartholomæus Chassaneus, *in Commentariis in Burgundiæ Consuetudinem* pag. *mihi* 760. 770. *&* 776.) multò maiora merebatur propter eius excellentem scientiam & virtutum ac morum honestatem. Vir sanè generis splendore egregius & nobilis, acutissimi ingenii & magnæ auctoritatis.

Viuebat *noster Canonicus Cabilonensis*, anno Christi MDXIII.

IOANNES GAVTHERON A SANCTO HIERONYMO *Fullienſis*,

NAtione Burgundus, patriâ Cabilonenſis, non verò Catalaunenſis, vt dicitur *in eius Elogio* à R. P. Carolo à Sancta Maria Fullienſium Pariſienſium piiſſimo Moderatore, *edito*, honeſtâ GAVTHERONORVM vulgo *Des Gautherons* Cabilone ortus familiâ, à primis adoleſcentiæ ſuæ annis in ſtudiis virtutum & bonarum literarum optimè enutritus, iuuenis incredibili ſcientiarum inflammatus deſiderio, petiit Toloſam, vt Iuriſprudentiæ operam ſedulò nauaret. Sed, diuino numine inſpirante, de rebus cœleſtibus cogitans ad Ioannem Barrerium, Aquitanum, Fullienſium Antiſtitem & Patriarcham ſanctitate, vitæ auſteritate ac morum integritate conſpicuum accedit, à quo in rigidiſſimam celeberrimámque ſuam Congregationem admiſſus eſt. Hic velut ſol refulgens, omnes ſuos Sodales humilitate, charitate, patientiâ, regularis obſeruantiæ zelo, religione ac exemplo perſtrinxit. Iámque intuitu virtutum & exquiſitæ eruditionis omnium oculi in eum conuerti cœperant, quandò Henricus III. Francorum & Polonorum Rex Chriſtianiſſimus Fullienſes Lutetiæ Pariſiorum fundauit, quorum primus Prior extitit, officio ſuo potiùs contulit ornamentum, quàm officium illi. Deindè creſcentibus Viri Dei meritis, primus poſt Ioannem Barrerium, Virum omni æuo digniſſimum, Congregationem ſub titulo Vicarii Generalis rexit. Meritiſſimus igitur Propræſul noſter tam ingentem in omni virtutis genere progreſſum fecit, vt chariſſimis Sodalibus ſuis ſtupori eſſet, neſcientibus quid in eo magis admirari deberent, an mentis ſimplicitatem, an vitæ ſanctimoniam, an prudentiæ in rebus agendis maturitatem vel iudicii dexteritatem. Quotidie ſacris literis ita animum excolebat, vt mores interim ſuos ad perfectam virtutis regulam ac normam componere non omit-

teret: quin imò hæc illi erat cura præcipua. Taurinum profectus, magnum charitatis (omnibus ferè Ecclesiasticis fugientibus) præbuit exemplum. Nam cùm Augusto Taurinorum sæua lues grassaretur, omnibus tabe infectis, magno spiritus feruore, inseruiuit. Romam posteà accersitus, non tantum apud suos, sed etiam amplissimæ huius Curiæ Magnates admirationi fuit. Vicarius Generalis per vniuersam Italiam vsque ad extremum vitæ constitutus. Disciplinæ religiosæ rigorem inter suos mirâ suauitate condiebat. Humilitatis profundissimæ fuit, quâ heroïcas virtutum actiones solertissimè contegebat. Patientiæ ferreæ, quâ morbos acutissimos, nullo doloris signo diù pertulit. Religiosam paupertatem dilexit tenerrimè. Diuinum officium vsque ad mortem genibus flexis, totum recitauit, vsque ad vltimam noctem silentium regulare religiosissimè obseruauit, & sanctæ vnctionis Sacramentum genuflexus paucis ante obitum horis suscepit. Vir fuit certè noster præclarus Conciuis, æternum patriæ suæ decus, religionis iubar, innocentiâ, morum suauitate ac eruditionis famâ percelebris. Hæc de piissimi Viri vita, pauca delibasse nobis sufficiat.

Romæ tandem feliciter cessit è vita die x. Ianuarii, anno Christi redẽpti MDCXX. in vita & post obitũ Sanctus à populo Romano, cui valdè notus fuit, acclamabatur. Vultus eius post mortem, quàm antè pulchrior & subridẽti similis extitit. Apparuit post aliquot annos cuidam Patri D. *Nicolao à Sancto Aygulpho* spiritum agenti, nec non miraculosis signis eius præclara merita omnibus post decessum innotuerunt. Iacet in Basilica sanctæ Pudentianæ, retrò maius altare.

De *V. P. Ioanne Gautheron à S. Hieronymo* perhonorifica reddunt testimonia, P. Carolus de Lozon à Sancta Maria, *in eius Elogio*, P. Chrysostomus Henriques, Hispanus, Ordinis Cisterciensis Historiographus, *in Menologio Cisterciensi ad diem* x. *Ianuarij*, P. Petrus Guillebaud à S. Romualdo Fulliensium Historiographus, *Tomo tertio Thesauri Chronologici & Historici anno* MDCXX. & *in Annalibus Fulliensibus eodem anno*, hactenùs *ineditis*, sed quos magno cum labore parat.

FINIS.

ADDENDA.

Pagina 10. linea 10. SYluanectensium, adde, Iacobus Augustus Thuanus, *in Historia sui Temporis*,

Pag 30 lin. 4. Cabilonensis, *adde* à capite. *Opera quædam Poëtica Gallica*, vt habeo *ex schedis* Cl. v. *Bernardi Durandi*, Aduocati Cabilonensis eruditione & probitate præstantis.

Ib. lin. 7. Adde. Iacobo Amioto Melodunensi, Præsulę Antissiodorensi *dicatam*.

Pag. 41. lin. 17. Cabilonensi, *adde*, Florimondus Remondus, Senator Burdegalensis, *Lib*. VI. *de Ortu & Progressu hæreseos*, pag. 738.

Pag. 46. lin. 13. Donellus, adde, Iacobus Cuiacius, Tolosas, Iurisconsultorum doctissimus edidit, nomine tamen suppresso, vt testatur Iacobus Augustus Thuanus, Præses eruditissimus, *in Historia sui Temporis*: Pro Ioanne Monlucio Episcopo & Comite Valentino Diensi, *Præscriptionem aduersus libellum quendam nuper editum* Zachariæ Furnesteri *subdititio nomine*. Lugduni, apud Petrum Roussin, 1575. in 8.

Pag. 46. lin. 5. Donelli, *adde*, Gallicè DONEAV,

Pag. 68. lin. 24. Optimè meritus, *adde*, quia in omni scientiarum genere peritus, & Iurisconsultus suo æuo præstantissimus ac linguarum Hebraïcarum, Chaldaïcarum, Græcarum, Latinarum & Gallicarum versatissimus, magno extitit in honore, tùm apud Togatos Senatuum Franciæ, cùm apud viros literis claros.

Pag. 69. pòst lin. 1. Dele totam primam lineam, quæ incipit De Feudis &c. & repone in eius locum, quæ sequuntur.

Indices in Burgundiæ Consuetudinem, quos in lucem dabit Cl. Vir *Bernardus Durand*, præclarus virtutum paternarum hæres, Aduocatus Cabilonensis, vt habeo *ex* eius *Schedis*.

De Linguæ Hebraïcæ excellentia Libellum MS. apud eundē.

De Magistratibus Librum MS. apud eundem.

De Rebus sacrosanctis & diuinis Libros IV. MSS. apud eund.

De Iure Sacræ Franciæ Politiæ Libros v. MSS. apud eund.

Senatus Burgundiæ placitorum Collectionem MS. apud eund.

Tractatus Varios Iuris incœperat, sed morte repentinâ sublatus, *imperfectos* reliquit.

Antiquitates Burgundiæ meditabatur.

In 8. *Adde*, R. P. Franciscus à Sancto Seuerino, Ordinis eiusdem *hanc Vitam* in Italicum vertit, ac prælo mandauit Geneuæ, vt nos monuit charissimus noster in Christo amicus R. P. *Hilarion de Coste*, Parisinus, eiusdem etiam instituti Alumnus. Pag. 76. lin. 17.

Pont. Max. *adde*, etiam R. P. Franciscus Victonius Sancti Francisci Paulani pronepos & Ordinis Theologus, *in Apendice de Concrematis S. P. Francisci à Paula reliquijs & violato eius glorioso sepulchro*, & R. P. Benedictus Gononus, Burgensis apud Sebusianos, Cœlestinorum Ordinis singulare ornamentum, *In Vitis Patrum Occidentis Lib.* VI. *pag. 392. & in Appendice ad Vitas eorundem Patrum, pag. 475. & 480.* Ibid. lin. vlt.

dele, De tempore eius obitus & reliqua; sed pone. A Sicariis cum pugionibus, nocturno tempore, in Camera sua claustrali cœnobii B. V. Mariæ Montis-Riui, prope Boscogentiacum in Prouincia. Pag. 100. lin. 10.

Phocensium, tunc Prior huius domus, anno Domini MDCX. mense Iunio interemptus est, è quorum numero vnus nempe *Ioannes Laure* fuit captus, & placito Senatus Aquensis damnatus ac rotæ supplicio cruciatus; sed priùs vtráque torturâ expertus, die xxx. Augusti, eiusdem anni.

Gallico, *adde*, Guilielmus Colletetus, Vallis-gaudii Dominus, eius Vitam scripsit in opere suo *de Vitis Poëtarum Gallorum*, quod Viri docti auidiùs expectant. Pag. 112. lin. 24.

Distichon, ad Regem Christianissimum Ludouicum XIV. Maiorem acclamatum, die primâ anni, ætatis suæ, decimi quarti. Cabilone, apud Philippum Tan, Typographum Regis & Vrbis. MDCLI. Pag. 113. post. lin. 27.

V iij

CORRIGENDA

PAgina 2. linea 27. mares, maiores.
6. lin. 5. Lirinensis. Lerinensis.
11. lin. 35. Calilonensis. Cabilonensis.
13. lin. 27. Neustria. è Neustria.
16. lin. 21. agitat. flagitat.
26. lin. 29. trahe lineam & pone Cabilonensis à capite.
51. lin. 31. Thesuta. Thesut.
53. lin. 1. Quadragesimues. Quadragesimales.
61. lin. 1. olidum. solidum.
Ibid. lin. 15. BernardVs. bernard Vs.
Ibid. lin. 20. primarii dele.
80. lin. 24. fnisse. fuisse.
82. lin. 24. fngulis. singulis.
83. lin. 19. Republicæ. Reipublicæ.
85. lin. 9. Christophe. Christophle.
117. lin. 21. concinator. concionator.
119. lin. 5. relioigne. religione.

SVMMA PRIVILEGII REGIS *Christianissimj.*

CAVTVM est auctoritate Regis, ne quis in regno suo aliisve locis suæ ditionj subjectis intra decem, proximos annos librum qui sic inscribitur, *R. P. Ludouici Iacob à S. Carolo de Cabilonensibus Scriptoribus libri tres.* Absque SEBASTIANI CRAMOISY Architypographi Regis & Reginæ permissu, imprimat, aut diuendat, à die Publicationis horum exemplarium. Qui secùs fecerit, mulctâ indictâ, proue amplius in Diplomate Regio continetur, coërcebitur. Datum Parisiis. Die 13. Septembris 1651. sic signatum. De mandato Regis.

CRAMOISY.